PONTIANI TUGNONII

CIVIS MEXICANI

ALEXANDRIADOS,

SIVE

DE EXPUGNATIONE TYRI

AB ALEXANDRO MACEDONE

LIBRI QUATUOR.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III
NAPOLI

FOROLIVII MDCCLXXIII.

Ex Typographia Acchillis Marozzi, et Joseph Sale. Superiorum Licentia.

LECTORI.

TOtos viginti annos in ſcriniis jacuit, quæ nunc in lucem prodit Alexandrias, jacuiſſetque æternum, me judice, aut, quod ille optabat, iviſſet in vicum vendentum thus, & odores.

Et piper, & quidquid chartis amicitur ineptis

niſi amicorum quorumdam, qui ſolebant

Meas eſſe aliquid putare nugas

hortationes, ac juſſa acceſſiſſent, præſertim Viri Clariſſ. C. T., cujus ea fuit in me benevolentia, ut non modo cunctantem impulerit, ſed etiam renuentem, erubeſcentemque id ætatis pueriles quondam luſus publi-

blici juris facere, ſponte oblatis, atque exhibitis ſumptibus pene coegerit. Quod ad Hiſtoriam attinet, & Poeticæ fictionis fundamentum, rem totam invenies apud Curtium lib. 4. a capit. 5.

PONTIANI TUGNONII ALEXANDRIADOS, *SIVE* DE EXPUGNATIONE TYRI *AB ALEXANDRO MACEDONE* LIBRI QUATUOR

PRIMI ARGUMENTUM.

ALexander Macedo ad Pylas Amanicas devicto Dario verſus Syriæ litora movet Exercitum. Tyrii pacem oratum legatos mittunt, qui tamen Regis animum rimantes haud obſcurè illum pœnitendi propoſiti inſimulant. Alexander eos territos dimittit. Illi reduces ſeniores ad detionem hortantur; Nino tamen reclamante in arma itum. Belli ſignum e turribus effertur. Alexander, qui eos in deditionem pertrahant rurſum legatos mittit, quos Tyrii interfectos in ma-

mare præcipitant Rege inſpectante. Ille mortuis funera, Diis ſacrificia perſolvens milites ad concionem vocant. Legiones, & primi cujuſque Duces numerantur.

BElla, ducemque cano Jovis alto a ſanguine cretum
Auſus qui Oceanum injecto committere ponte
Stravit Agenoridum populos, multum quoque bello
Vi ſuperum paſſus terraque marique laborum
Tu cantus, tu Diva move, dicam æquoris iras
Frœna recuſanteis, Boreamque, Notumque citatas
Dicam animas, actoſque odiis in prœlia Divos
  Urbs in conſpectu Phœnicum ab litore longe
Erigitur, Sarram antiqui dixere coloni,
Nunc Tyros, excelſo ſedes gratiſſima Phœbo:
Colle ſuper modico abruptis hinc, indeque ſaxis
Antiqua fundata manu; curvantur in orbem
Litora, & ingenti puppeis ſinus accipit alveo.
Ipſam in ſublimi ſtantem turrita coronant
Mœnia, pinnatoque laceſſunt vertice Olympum:
Dives opum Regio, ſtudioque inſignis, & armis.
Huc ex adverſo metatur litore caſtra
Pellæus juvenis, tibique, o Rex maxime, taurum
Neptune, ingentem ſacris rite admovet aris.

Et

Et jam ſigna procul Pœni de turribus altis
Conſpiciunt, angitque animos, deſuetaque bello
Corda tremor; ſed enim vireis munita locorum
Natura, adverſiſque dabant vada pervia ventis.
Fluctuat inſanum vulgus; ſed publica Patreis
Cura premit, coguntque frequentem in jura Senatum
Conveniunt, patrioque ardenteis murice ſedeis
Accipiunt omnes; placido tum pectore Belus,
Belus ab antiquo ducens cunabula Rege
Hæc infit: Sat nota viri proponere fando
Quid morer? Æmathios hoſteis, populumque paventem
Cernitis. An bellum, an dextras trademus inermeis
Conſulite, ó patriæ cordi queis cura ſaluſque.
Sic Belus paucis; at non maturus Amentor
Pauca refert: noſtrum, proceres, à ſtirpe Deorum
Quis genus ignoret? cui fraus indicta Tonantis
Biſtoniæque arces, atroque è ſemine proles?
Hocne jugo premere externum patiemur, & Argis
Sceptra dari, indigno vel ſubdere colla Tyranno?
Non ita. Flammato prius aut nos fulmine perdat
Jupiter, aut nigra pontus nos obruat unda.
Sin autem ſocia arma parant, opibuſve juvari,
Nil renuam, propriosque lareis, meque ipſe fideli
Conjungam dextra. Ducis illius inclyta virtus
Chara mihi, ſi juſta velit, ſi fata ſequatur.
Quod ſi vi ad litus raptas, ſpolia ampla, Pelaſgum
Vertere tentat opeis, urbem aut convellere ferro

Mœ-

Mœnia ſunt nobis, genitor quæ maximus olim
Ipſe manu cœlo æquavit, ſunt tela, animique.
Quæ tamen in noſtros Regi fiducia muros,
Quidve petat veſtigemus, ſeu bella parari
Seu pacem inveniamus ait. Sententia menti
Patribus hæc reliquis hæret, tunc ordine certo
Centum oratores adverſa in litora remis
Ire jubent rapidis, Macedumque agnoſcere turmas,
Et vireis, animumque ducis rimarier aſtu,
Regificaſque epulas pariter, ſimulataque mittunt
Dona viro. Placidi findunt ſalis arva carinæ.
Aurataeque Deum effigies tremulo æquore fulgent.
Proxima jam torto radebant litora remo
Quum procul è caſtris curſu petit obvius alnum
Infelix Philotas armiſque decorus & oſtro.
Tunc, quæ tela viri? ſociosne optatis, an hoſteis?
At picta ſenior puppi ſic fatur Haleſus,
(Cecropiumque aperit ramum frondentis olivæ)
Non inimica vides fulgentia puppibus arma,
Aut hæc infeſtis tranavimus æquora cimbis,
Pellæum petimus Regem. ac mandata Senatus,
Muneraque adferimus ſocii, dextramque rogamus.
Dixerat, & flava ſteterat cava puppis arena.
Conjungunt ambo dextras, caſtriſque propinquant,
Pone Senatorum ſequitur longo ordine cœtus.
Utque duce adſtiterunt coram, paciſque bilingueis
Expoſuere dolos, epulas mentitaque dona.

Expro-

Expromunt, veterum monimenta auguſta parentum,
Tum patrio geminas ſaturatas murice veſteis, (tam,
Et chlamydem gemmiſque gravem, atque auro intertex-
Cui varium manus addiderat Phœniſſa decorem
Nam chlamyde in media torvi ſub imagine tauri
Sideream exoſus ſedem pater altus Olympi
Stabat Agenoridum campis, atque arva ſecabat
Corniger. O quid non Superum vel pectora cogat
Durus amor! parte ex alia pulcherrima virgo
Forma illuſa Dei ſpirantia cornibus aptat
Serta lubens, mulcetque manu candentia lævi
Pectora, mox ſuper Armeni de pelle Leonis
Tegmen agit fulvo, maculiſque inſigne coruſcis;
Nec verita infidum ſaltu conſcendere virgo eſt
Inſideat cui ignara Deo, jamque ille per undas
Carpit iter, ſpumant rapido vada cærula curſu.
Tum Eois gravidam gemmis auroque coronam.
Rex quibus acceptis placidè ſic farier orſus:
Haud veſtrum ignoramus iter, nec munera duri
Spernimus ò Tyrii; ſed debita mœnia fatis
Poſcimus. Hæc ferte. Æmathio parere tyranno
Non Pœnos, meritis unquam aut certaſſe pigebit.
Sin autem cœci abſiſtant, Diviſque repugnent
Arma parate animis, vos triſtia fata manebunt.
Sic ait, & nitidum præſtanti corpore taurum
E grege delectum Alcidi de more parari
Imperat. Haud plura eſſatum compellat Haleſus:

Haud procul hinc templum, veteris prope mœnia Sarræ
Amphitruoniadæ priſci ſtruere parentes
Celſumque, ingenſque, & præſenti numine ſanctum.
Namque olim infandis tutatus ab ignibus urbem
Hoc templum, haſque ſibi ſacras Tirinthius aras
Atque diem voluit pro Religione colendum·
Ædibus his patriis dabitur tibi copia ſacris.
Vix ea, quum ſolitas Rex Pœno in pectore fraudeis
Agnovit, ſubitaſque furens exarſit in iras.
,,Non ſecus ac quondam rigidæ quum frigore brumæ
,, Torpet agro ſerpens curvo male preſſus aratro
,, Protinus erigitur, flammiſque armata triſulcis
,, Ora rotat, nigroque tument fera colla veneno.
Tunc ſic: vana movet pelagi fiducia Pœnos
Quum ſtant fata Deum contra. Nihil inſula noſtris
Viribus obſiſtet; quod ſi Pater omine nullum
Pandat iter dextro, gravibus mare miles in armis
Tranſnatet, ipſe licet laxis fremat Eurus habenis,
Aut Notus, & ruptis conturbent æquora clauſtris.
Ipſe ego dux facti. Nec plura effatus acerbo
Dimiſit vultu trepidos, ac multa doloſis
Duraque Cadmæis referenteis funera belli.
Labitur interea Clarii rota fervida Solis,
Nox ruit, & placido componit pectora ſomno.
At non Pellæi vigileis ſecludere curas
Somnifera Deus arte valet, ſedet altius imo
Corde dolor; tum qua placidas mare lambit arenas,

Et

Et circum multa prætexitur arbore lucus,
Æquoreis quondam ſtatio gratiſſima Nymphis
Propter aquæ murmur recubat, ſopor alligat artus.
Ecce autem ante oculos olli (mirabile dictu)
Viſus adeſſe ſenex, illi candentia fulgent
Tempora gemmarum, cinctuque biverticis auri.
Arte peregrinam Phrygia, gemmiſque rigentem
Induerat veſtem, Aſſyrio quam ſtamine obumbrat
Longa venenato chlamis exſaturata rubore
Perque humeros lævo tergum conſtringit ab armo
Baltheus, & rubro diſterminat igne pyropos,
Quem lateri morſu ſubnectit fibula eburno.
Pectora bis ſenis fulgent radiantia gemmis,
Quæ priſcos referunt inſcriptæ nomina Patreis.
Tunc ſic adloquitur, curaſque avertere tentat.
Maxime Grajugenum, ætherei cui rector Olympi
Terrarum ignotos tractus, regeiſque ſuperbos,
Et frœnare dedit ſceptroque adjungere avito
Extremas Orientis opeis, cujuſque per orbem
Centenis jam fama canit geſta ardua linguis
Auſpiciis Superum tandem, Rex magne, quod optas
Ne dubita, dabitur Tyrias evertere turreis
Nam ſic fata ferunt. Viventis nuncius adſum
Ecce Dei, interpres fidus, ſummuſque ſacerdos
Cui Solymæ ſecreta patent, penetraliaque alti
Fas ſoli adſpicere, ac Superum exardeſcere flatu.
Quo tamen id fiat, magnum prius æquoris alti

Opplendum latus aggeribus jungendaque in unum
Litora litoribus contraria. Sed tibi quæ non
Heu! ſubeunda manent! rumpenteis clauſtra ſonoros
Adſpicio Cauroſque, Notoſque & gurgite ab imo
Fervere cæruleum pelagus. Proh quanta virorum
Pabula monſtriferis linquentur corpora phocis.
Sed te fata juvant hæc contra fortior aude
Quin etiam extremam Oceani penetrabis ad oram.
Sub juga nubiferi veniat ferus accola Tauri,
Euphrateſque vagus, ſummis quique æmulus aſtris
Reginæ infandos teſtatur muris amoreis,
Et rapidus Tigris, pontiſque ignarus Araxes
Riphææque nives, Bactrique, & dives Hydaſpes
Quique plagas habitant rubras, ubi gemmifer uno
Haud tantum Ganges erumpit in æquora cornu.
Dixit, & attonitum verbis, ac multa volentem
Diſcere, deſeruit, ſubitaſque evaſit in auras
Interea tacitum per opaca ſilentia curſum
Legati accelerant, ſecumque extrema volutant
Verba ducis. Sedet illa animis pietaſque, decorque,
Iraque digna Deo; tandem candentia ponunt
Carbaſa, & umbroſo religant in littore puppim.
Jamque celer trepida rumor diſpergitur urbe
Adventaſſe viros, fervet plebiſque Patrumque
Regia concurſu. Certo poſtquam ordine primi
Conſedere duces, Danaum reſponſa repoſcunt,
Atque omnes pavida intendunt ſermonibus ora

Tunc exſpectatus mediis ita fatur Haleſus:
Regis Alexandri Cives, acieiſque viroſque
Vidimus, & torvo fulgentia caſtra metallo.
Poſtquam autem coràm conceſſa licentia fandi
Præferimus vittas donumque & verba Senatus,
Attigimuſque manum, totum quæ terruit imo
Gurgite Danubium atque Getas, forteiſque Triballos.
Tum ſociam expetimus dextram, pacemque rogamus.
Reſtitit his anceps; ſed noſtram callidus artem
Ut novit, multumque ſua cum mente revolvit,
Demiſſos in terram oculos attollit, & omneis
Perluſtrat tacitus noſtrum, mihi corpore toto
Excurrit gelidus ſudor, tam dia decoros
Majeſtas fronti, atque oculis afflarat honoreis.
Tum belli cauſas, Superumque oracula pandit,
Perſarumque dolum, & Patris præcepta Phylippi.
Hæc poſtquam chlamydem dextra contorſit in orbem,
Curvavitque ſinum, & bellum, pacemque reporto
Hic, ait, accipite, & veſtris quodcumque referte.
At noſtræ, Patres, quæ ſit ſententia menti
(Si quid erit) pandam, veſtris ne fidite muris,
Nec mare quod rapido circumdat litora fluctu.
Vidi ego bellatorum acieis, animoſque paratos
Quos ad cumque velit caſus fortuna ferendos,
Quoſque trucis numquam infriget ſors aſpera Martis.
Quid rerum domino fugimus nos dedere Grajo?
Sidonias genteis Grœcis fulgere ſub armis,

Le-

Legibus & patriis ſervatam vidimus urbem,
Quæ noſtrum cognata parat nunc milite caſum.
Nec longè captos inter miſeranda Darii
Pignora, fulgentem inſigni diademate crineis
Uxorem, & cano venerandam vertice matrem,
Rex quibus ingentem defert modo victor honorem.
Dixerat. Infremuere omnes, varieque tumultu
Ora virum tacito muſſabant preſſa ſuſurro
„ Non ſecus ac pelagus luſtrato Phœbus Olympo
„ Quum repetit, glomerantur apes alvearia circum
„ Fit murmur tectis, gracilis ferit aera bombus.
At non magnanimo perculſus Amentore natus,
Eximiuſque armis juvenis gentiſque decora
Nobilitate potens verbis ita fatur amaris:
Ergon' certa Deum conſtat ſententia fatis
Vertere, Haleſus, opeis Tyrias? Sic nos tua perdant
Conſilia incautos? domini ſi tanta cupido
Eſt tibi, te Danaum ſupplex citò dede Tyranno.
Haud res illa fuát majorum indigna tuorum.
Ex Jove ſe genitum jactet licet, agmina quanam
Transjiciat claſſi? quonam petat arjete muros?
Dii quoque ſunt nobis. Exempla quid irrita monſtras
Sidonias ceſſiſſe arceis? mea pectora vulgi
Degeneris nil geſta movent. Stat corde furentum
Suſtentare acieis, donec per viſcera ferro
Inveniant prærupta viam, decus arma parabunt,
Et pulchram in mortem pro libertate ruemus:
Inſimul his arma, arma furens tota increpat arce.

Phœ-

Phœnicum immenſus magnum ferit aera clamor.
Tecta Patres ſubito trepidi tum regia linquunt.
Attonitis tota paſſim procurritur urbe.
Portis quin etiam veterum de more recluſis
Hic multa atque illic ferrum fornace liqueſcit,
Et belli in varios properè confingitur uſus.
Hoc ruat immenſi campos ſalis, hoc ratis altum
Percutiat cœca arte latus, curſumque moretur,
Hoc latè igniferas vomat atro turbine peſteis,
Flammatum hoc enſem, clypeum hoc, galeamque coruſcam.
Ecce autem edura dum ferrum incude laborat
Iphitus, alternoque tonant cava ſaxa fragore,
Dumque (nefas) maſſam informem convertere morſu
Forcipis intendit, vivo fluxiſſe cruore
Æra videt, trepidus ſilet, atque immobilis hæret
Extemplo vates fatis (nec fata favebant)
Hunc fore conclamant gladium quo numina monſtrent
Libertatis inter, certoſque ex hoſte triumphos.
Nec mora nec requies, alii ex altaribus arma
Diripiunt Divum immemores, ſincerus aratri
Ceſſat amor, curvos fingunt in tela ligoneis,
Muneraque ardenti ceſſere Palilia Marti.
At Belus populi furiis, proprioque pudore
Correptus ſummam in turrim conſcendit, ubi æquor
Subjectum adſpicitur latè; totaſque pererrat
Luminibus ripas, adituſque, hoſtiliaque arva.
Poſtquam tuta ſatis viſa omnia, primus in hoſtem

Purpureum ipſe manu labarum locat, ipſe cruentum
Funerei ſignum contorquet miſſile belli.
Nec minus & Macedum caſtris fera ſævit Enio
Ut videre procul vexilla micantia vento.
„ Ceu quondam abrupto quum vertice conſtitit Hæmi
„ Aut Rhodopes Mavors, horrent pecudeſque feræque,
„ Ipſe rotis, curruque ferox, clypeoque nigranti
„ Intonat & Geticas commiſcet cædibus urbeis.
Dux quamquam inſtanti pronoque capeſſere bellum
Milite mens ardet, Tyrii ne incæpta morentur,
Neu pavidis dentur metuit longa otia Perſis.
Ergo Sidonio geminas è litore puppeis
Barbaricis onerat gazis, pictoque tapetas,
Ingenteiſque auro tripodeis, atque aurea vaſa
Divini Alcimedontis opus, dulciſque Lyæi
Munera certatim accumulat, galeamque comantem,
Enſemque & clypei non enarrabile textum.
Quippe orbe in medio gemmiſque auroque rigeſcens
Propter aquam placidos carpebat Olympia ſomnos.
Stabant argento latices, umbroſaque circum
Aſſuetæ volucres mulcebant litora cantu.
Interea tacito per amica ſilentia lapſu
Herboſos interque toros, & florea prata
Cæruleis coluber maculis auroque coruſcus
Pectoraque, & molli niveos innoxius artus
Amplexu fovet, & gremio blanditur amato.
Aſt Hyadum, Dryadumque choris, & Oreade multa

Cincta

Cincta latus Cytherea dolos, puerique jocoſas
Improba miratur fraudeis, plauditque, ululatque,
Et blando faciles Nymphæ riſere cachinno
His addit geminos pietate, & fortibus auſis
Antiqua de ſtirpe viros Mneſtemque diſertum,
Armorumque togæque edoctnm jura Cleanthem,
Qui indomitos Pœnorum animos mollire loquendo
Et duri tentent avertere Martis amorem.
Hinc atque hinc paribus findunt freta cerula remis
Sidoniis Argiva juventus mixta colonis.
Vix autem ſteterat curvo gravis anchora morſu,
Et ſiccum tenuere viri, cum protinus altas
Plebs ruit ad portas, Ninuſque & prima juventus,
Ninus Amentorides, quo non truculentior alter
Urbe fuit tota, furiiſque immanibus acti
Miſſilibus, duroque parant proſternere ferro.
Non tulit hæc animis Belus, non fortis Haleſus
Confertaſque ſuorum acieis, denſoſque maniplos
Impavidi penetrant, medioſque feruntur in enſeis.
Et procul, o miſeri, quæ tanta inſania, cives
Belus ait, legatorum venerabile nomen
Gentibus & cunctis ſacrata reſolvere jura
Audemus Tyrii, Divum certiſſima proles?
His dictis ſedati animi, & fera corda quierunt,
Ipſe viros oleamque manu, vittaſque ferenteis
Compellatque ultro, atque amplas comitatur in ædeis
Ut Patribus coram ſteterunt, ſanctoque Senatu

Hæc Mneſthes: veſtras, Pœni, delatus in oras,
An Scythicas dicam in rupeis, & inhoſpita ſaxa
Adventaſſe maris? portanteis fœdera pacis
Indigno adpetitis bello. Non ulla protervos
Dona animos, ſacrata Deum nec jura morantur.
Regis Alexandri ſtirpem quid cœlitus hauſtam
Commemorem, patremque Iovem? quid Delphica Phœbi
Reſponſa, aut gnato retulit quæ corniger Ammon?
Sub juga venturas extremo ab litore genteis,
Naſcentem quæcumque diem, aut videre cadentem
Totumque Argivis victurum legibus orbem?
Quid Ciliceis, captoſque Syros, fractumque potentum
Robur Achæmenidum, profugoſque per invia Regeis
Purpureaſque undas volventem in ſaxa Granicum,
Commemorare juvet? non ſi mihi ferrea centum
Ora ſonent, claros poſſim numerare triumphos,
Subjectaſque urbeis fama, aut victricibus armis.
Vos autem genus armipotens, gens cara Tonanti
Quid gnato Jovis, aut Grajo metuatis ab hoſte
Claſſibus, atque alto præcincti tegmine muri?
Ergo agite, imbelleis ſejuncto ab litore turmas
Pellæi ducis, atque minas contemnite inaneis.
Quin etiam immeritiſque fidem, ſanctumque negate
Hoſpitium. Fandi teſtis Deus, atque nefandi.
Sic fatus reditum ad puppeis, & caſtra parabat,
Ulla nec attoniti exſpectat reſponſa Senatus.
Jamque aulæ in medium proceſſerat, undique murmur

Quum fieri, ſubitus mox clamor, ferret in aureis
Hæc Macedum: non prædoni ſervire Pelaſgo
Paſſuros Tyrios, nec tantæ illudier urbi
Terrarum Dominæ, Heroum, Divumque parenti.
At non Cadmæas. veſtra hæc jactantia Thebas,
Cognatamve armis valuit Sidona tueri
Mœſtus ait, ſimul hæc, ſimul aurea limina linquit.
Quum procul a tergo ferrati cuſpide teli
Incerta adpetitur dextra, mora nulla. Furentum
Undique decurrunt turbæ; Dea ſæva flagello
Intonat, & miſeris intentant omnia mortem.
Aſt olli clypeis tecti per tela, per hoſteis
Vi rumpunt aditus multa, portiſque propinquant:
Crebreſcit pugna, & numero obluctantur iniquo
Infandis donec rabies ſatiata quievit
Vulneribus, Grajoque popoſcit ſanguine pœnas
Quin etiam Tellure viros, ſacroque ſepulchro
Immeritos prohibent, infletaque corpora muro
Æmathii ducis ante oculos, & Dorica caſtra
In mare præcipitant, ululatuque æthera complent.
At pius e caſtris ductor feralia cernens
Monſtra Deum ingemuit, ſociiſque in litore honorem
Poſtremum inſtaurare jubet, latè omnia flammis
Collucent Libani nemora alta, & marmora ponti.
Et jam ſtelliferis properat nox humida pennis,
Adportantque graveis ſurgentia ſidera ſomnos
At Rex ſolicitus curis Mavortia ſecum

Fune-

Funera, pugnarumque viceis, ac triſtia verſat
Fata Deum, tandem ſtimulante cupidine famæ
Priſca animo reputat ſenior quæ nuntius olim
Advexit cœlo, Superiſque indicit honoreis.
Vix ergo dubios lux prima revexerat ortus
Quum maris ad litus ſacris altaria flammis
Apponi jubet, & feſta ſe fronde coronat.
Hinc Divum Patri mactat, glaucæque Minervæ,
Amphitruoniadæque nitenti in corpore tauros
Quæ poſtquam acciri e caſtris pubem imperat omnem.
Eja age Muſa, Deum proles noſti arma, viroſque
Quaſque acieis Pœnis dominatrix Græcia campis
Extulerit, magnoſque duceis, nos cantibus auras,
Seraque mendacis ſequimur veſtigia famæ.
Primus agit turmas rutilo ſpectandus in oſtro,
Atque peregrinos populos genteiſque ſuperbas
In ducis obſequium Graij rapit aſpet Amintas
Oedipodionias movet hic in proelia Thebas,
Quoſque Hyrie præcincta jugis, liquiduſque ſonanti
Schoenus alit fluvio, quoſque alta cacumina Grææ,
Hunc ſequitur quicumque tuos Eteona receſſus,
Et celſas liquere arceis, quique Aulida mille
Fatalem Priamo foetam incoluere carinis
Qui campos, Micaleſa, tuos, Harmamque, Scholumque
Vomere proſcindunt, quos inſuper inclyta celſæ
Moenia tutantur Medeonis, & apta Camoenis
Theſpia, qua ſacro reſonant Helicone ſororum

Culta

Culta novem, mulcentque propinquos carmina cœlos.
Vos quoque Apollineæ in bellum miſiſtis Erythræ
Fatidica de ſede viros, ubi caſta furenti
Phœbus agit rabido ſub pectore fræna Sybillæ.
Nec minus Ileſium, glebiſque Eleona potentem
Ocaleamque, Hylemque, ſalutiferamque Plateam,
Quique Charoneam, Glyſſemque, Copaſque feraceis,
Oncheſtumqne tenent, ſacras ubi condidit arceis
Oncheſtus, vitreis quem fluctibus Amphitrite
Extulit, ac viridi naſcentem fovit in alga.
Ille loci nomen, magnique parentis honorem
Inſtituit, caſtumque nemus cum fonte ſacravit.
Qui loca grata colunt Arnes ubi mille migrantum
Terga boum pingueis proſcindunt vomere glebas.
At parte ex alia Divum ſe a ſtirpe ferebat
Magnanimis Cœnus turmis, hunc Theſſala tellus
Miſerat, Aſtioche vitrei quem ad litus Enipei
Marte gravis peperit, ſcires e Marte creatum,
Tantus in arma viro furor eſt, & conſcia virtus.
Phocaicos regit ille viros, quos devia Python,
Et felix Cypariſſa ſatis, pecoroſaque Cryſſa,
Daulia quos miſit, Prognes monumenta nefandæ,
Quos liquidis Cephiſſus aquis, quos fonte Lilæa
Nutrit arenoſo. Cœnum quoque lecta ſequuntur
Robora Locrenſis pubis, quos nobilis armat
Callyarus, Scarpheſque, Cynus, nemoroſaque Beſſa,
Perpetuumquc polo ridens Augia ſereno,

Et Tarphe, & Thronium labente Boagrius unda,
Quas rigat, & viridi prætexit arundine ripas
Nec minus Euboicus miles, ſaxoſaque Dius
Culmina, Cerinthus, Cererique ingrata Cariſtos,
Et Bacho melior flavis Iſtæa racemis,
Quique Styram, Eretriamque colunt, & Chalcidos arces
Horrida cæſaries ollis, ſub caſſide collum,
Atque humeros vario ventorum adverberat ictu.
Haſta decus manibus, longoque haſtilia ferro.
At vero Argivæ radiant procul ære phalanges
Quas hominum nutrix, nutrix dedit Argos equorum,
Quos Salamis præcincta mari, Telamonia quondam
Tellus, quos Aſine, ſinuoſaque litora donant
Hermiones, Eionque ferax, pulſataque Træzen
Fluctibus, Ægines, Mazetaque ſaltibus æqua.
Quæque Deo quondam formoſa ſuperbit alumno
Tirinthus, cælumque animis, ac turribus æquat,
Nec non litoreas calcans Epidaurus arenas,
Urbs Phoebo dilecta Patri, Patrique Lyæo
Ait inviſa Iovi. Puduit neque bella cruenta
Cecropidas tractare manu, Martemque ciere.
His clara de ſtirpe Ducum, Regumque ſuperbus
Nicanor præerat, iungit cui Theſſalus acreis
Perdiccas equiteis. Suetum torquere lacerto
Ferrea pila viris, artus tegit undique ferrum.
At Clitus recti qui ſervantiſſimus unus
Inter bella fuit, quo non præſtantior alter

Voce movere animos, haſtaque capeſſere pugnas,
Linceſteſque ferox, ſenioque gravatus Oreſtes
Inachios rapuere viros, diteſque Micænas.
Fluctibus hos ſequitur geminis pulſata Corinthus,
Quiſquis & Herculea inſigneis virtute Cleonas,
Quiſquis Arætiream, frondoſaque poſſidet arva
Blanda ubi perpetui ridet clementia veris,
Non Siculis vincenda jugis. Orneia quiſquis
Et magno regnata olim Sicionis Adraſto
Rura terit, quicumque tuas Hypereſia ſilvas
Ægion, & Pallenem, atque illuſtrem Gonoeſſam,
Quos Phares, Sparteſque dabant, & amata columbis
Meſſis, Amiclææque arces, murique ſilentes,
Atque Elos, & molli pecori gratiſſima Briſis,
Eminus arma ſparus, falcati cominus enſes.
Inde Parætonias genteis Ptolomeus, & acer
Hinc ducit Meleager ovans, ſatus ille Diore,
Ille Lago, parilique trahunt ſplendore catervas.
Cretenſeis rapit ille ſuos, qui mœnia Trezes,
Qui Cerathum, Lethenque bibunt, Minoia quique
Arva domant, quos Gnoſſus alit, quos lambit Oaxis,
Quos Gortina dedit, certis Gortina ſagittis
Inſignis, refugoque potens contendere Partho.
Ac ſemper vexata notis ſita culmine ſummo
Lictos, quæque humilis vitreas Lictonia Nymphas
Excipit, ac viridi recreat frondoſa ſub antro,
Quos Phæſtinus ager, ſilvæque virentis Achliæ

Myletumque dedit, pecorique inimica Lycaſtos
Huc pariter Rythimna viros, dilectaque ſummo
Arva Iovi Dictæa ferunt, ubi luminis auras
Æthereas puer hauſit adhuc, teneriſque lacertis
Spicula jam Lycriis didicit torquere pharetris,
Poſt rapidum tonitru fulmen miſſurus Olympo.
Omnibus horrendum lævo, ſonat arcus ab armo,
Corithique leves dextro, volucreſque ſagittæ.
Hinc vero Æmathius longo procul ordine campis
Fulget eques, ſterili quem triſtis Atraxia monte,
Flaventique dedit felicior Jrus Iacho,
Huc Thryos illimi rapidus quam proluit unda
Alphæus, donec cæco furtivus hiatu
Iungit aquas Aretuſa tuis, ubi prata vagantum
Solicitos Siculi laticum mirantur amoreis.
Quos Alopæus ager, frondoſaque culmina lauru,
Triſtis Alos Cereri, lapidoſaque iugera Trachis.
Æquoreique ollim tellus Pharſalos Achillis,
Pharſalos, Romæ extremam allatura ruinam.
Phtia viris auimiſque potens, & nobilis Hellas
Mercibus, Iliaciſque minax Lariſſa triumphis,
Qui Philacem, Preleumque colunt, gratiſſima tellus
Hæc Satyris, ea prima ſalum mortalibus auſa eſt
Indomitum Argolicæ remis aperire carinæ,
Quique tuas, Antron, valleis, & vomere multo
Litus arant, Itonque tuum, tua Dorion antra
Qui tenet, & cytharam, defletaque munera vatis
Tareicii memorat, doctarum iraſque ſororum.

Theſ-

Theſſala quique habitant Tempe, pulcherrimus unde
Labitur, & liquido felicia jugera Pindi
Fonte rigat, cantuſque Deum, cantuſque Sororum
Provocat Aonidum Peneus, lauruque coronat.
Hac triſteis pariter lento ſecat agmine lucos
Se Plegetonæa tollens Titareſius ab unda,
Poſt Peneum irrumpit, lapſuſque per æquora ſummo
Immixtas defendit aquas, fluviique minoris
Contactum effugiens Superum ſibi ſervat honorem.
Ductor erat genti fortis ſatus Hercule, fortis
Parmenio, alticomum quem circa Pelion olim
Alceſtis commixta Deo pulcherrima fudit.
Nobilis huic adſtat Craterus, primiſque ſub armis
Parmenione latus Philotas cui pulchra decoras
Vix tenui malas pingebat flore juventus.
At Macedum glomerata phalanx toto æquore fulget
Prima ollis agitur ſtudiis audacibus ætas (teis,
Atque humeris pharetras, arcuſque aptare ſonan-
Et captare feras, volucrique affigere telo
Adſueti volucres per ſudum, & ludere diſco.
Horridus hos ſilvis, ac duro robore natos
Miſerat Herculeis olim tremefactus Olympus
Viribus, ingentum proſtrata mole Gigantum,
Hos inviſa Iovi Rhodope, coniunxque ſuperbus
Edidit, elatum diro ſub monte, rigeſcens
Servat adhuc iras, & verba minantia pectus,
Duriopus tutrita jugis, quos nutrit, & ingens

Lyc-

Lychnidus, triſti quam circumplectitur umbra
Lycnitus, fulvaque agros fœcundat arena,
Quique tuos habitant hilareis Candavia ſaltus,
Quique tuas valleis, felicia jugera duris
Proſcindunt raſtris, pingueis quique ardua colleis
Suſpendunt, Heraclea, tuos, ubi læta pererrant
Arva greges, varioque renident prata colore.]
Lynceſtis quicunque tenent ingrata colonis
Culmina, quique colunt Ægas monimenta virorum,
Mos ubi ſceptigerum deponere corpora Regum
Antiquis fuerat, vitreas qui Haliacmonis oras
Incolit, ac niveum fluvii luſtralibus undis
Miratur pecus, & candentia vellera Paſtor.
Lybethrum quicumque habitant, montemque ſacratum
Nympharumque choros, & amata ſedilia Muſis,
Quiſquis Eleutherim, piſcoſaque litora Piſæ, (lem.
Dyrrachium, Amphipolinque tenent, Piduamque niva-
Pella ducum nutrix, & mitis Elimia tractu,
Quos alit, horrendum reſonant in corpore toto
Ferrea ſuta viris, pendet lævo enſis ab armo.
His Rex ipſe præit, vireiſque, animoſque ſuperbos
Inſpirat vultu, Martiſque accendit amorem.
Talia per latos decurrunt agmina campos
„ Threiciæ veluti rigido cum frigore brumæ
„ Impendente polum tranant, tepidique fluenta
„ Oceani repetunt volitantes ordine certo
„ Strymoniæ clangore grues, fragor admonet ingens

„ Pi-

„ Pigmæos, trepidique exſpectant dira volucrum
Agmina, ſic toto reſplendens milite campus
Sub pedibus tremit, atque altus circumtonat æther.
Litoreo poſtquam ſederunt gramine turmæ
Exſtruitur Regi flava ſuggeſtus arena.
Hinc atque hinc poſitis tellus micat omnis ab armis.

PON.

PONTIANI TUGNONII

ALEXANDRIADOS,

LIBER SECUNDUS

ARGUMENTUM.

ALexander ſuam de Maris intervallo opplendo ſententiam proponit, hortatur, jubet, primuſque immania ſaxa in profundum detorquet. Neptunus audax ducis facinus indignatus Deorum concilium vocat, Iridemque ad Iovem mittit, ut filii furorem compeſcat. Ille autem Neptuno qua velit arte, ſuis finibus conſulere juſſo Herculis iratum animum placat. Neptunus marinos Deos in Regem incitat, Glaucumque ad Arabes mittit; ab quorum ſilvis ligna Græci adportabant, qui eos in bellum impellat. Illi palantes, & labore feſſos milites adoriuntur obtruncantque. Alexander ad eas gentes in officio continendas cum copiarum parte proficiſcitur molis cura Cratero commiſſa. Hujus incrementa cernentes Tyrii ad templa confugiunt. Preces Iuno exaudit, mu-

tato-

tatoque vultu ipſius Nini curator efficitur, eique ſuadet ut ad Phyliſtinorum litora contendat, ibi a Dejopea quid opus facto docendus. Paret ille, ipſoque in litore ritè faciens a Nympha ad Phobum ducitur. Hic navem cum ſociis conſtruit incendiariam miræ magnitudinis. Ninus apud Nympham epulatus domum repetit. Navis deinde artificio, Tyriorumque conatu moles ruit.

ILle gravis vultu, ſceptroque innixus eburno
O rubras domiture plagas, extremaque Mundi
Mecum miles, ait, tantarum exordia rerum
Nunc memores revocate animis Athamantidos æquor,
Cæruleumque Iſtrum nigra ſub nocte jugaleis
Flecteret alipedeis quum fuſco Cynthia cornu
Tranaſtis, victóſque Getas, urbeiſque ſuperbas
Fumanteis roſeo proſpexit ab æquore Titan.
Cecropias quid ego referam, & Lacedæmonis arceis?
Et dubitamus adhuc, Tyrioſque immane furenteis
Adſpicimus lenti? fugiat mea territus arma
Perſa potens, Tyrii inſultent? Macedumque maniplis
Una tot urbs poterit certos tardare triumphos?
Non ita. Quin potius quam nunc mihi Iupiter altam
Pectoribus mentem indiderit, res magna, docebo.

Æquo-

Æquora nos toti dirimunt circumfluà muro,
Haud difuſa tamen, ſubtuſve profunda vorago eſt.
Has mihi fert animus cæcas complere latebras
Arboribus ſectis, vaſtiſque molaribus omneis
Dum ſuperet fluctus, altaſque hinc indeque turreis
Ædificare ſuper vaſti faſtigia muri,
Queis totam latè pateat proſpectus in urbem.
Nunc animis, firmaque fide, nunc denique veſtris
Viribus eſt opus, hoc Argivæ gloria gentis,
Hoc ſociorum umbræ, calcataque jura repoſcunt.
Dixerat adſenſum teſtantur voce phalanges.
„ Tantus cælivagas clamor conſurgit in auras
„ Quantas Caucaſeas madidis Notus aſper in alis
„ Quum ruit in ſilvas, nemus infremit, altaque ſummo
„ Vertice verrit humum Pinus, rurſumque ſub auras
„ Erigitur, reboant magno cava ſaxa fragore.
Continuò ductor primum alto a litore primus
Devolvam lapidem dixit, ſaxumque profunda
Demerſum tellure trahit, ſtans litore ſaxum
Antiquum atque ingens, cui multa in ſæcula dirò
Luctatum pelago atque inſani fluctibus æſtus.
Non illud bis ſex juvenum connixa moverent
Qualia temporibus naſcuntur corpora noſtris.
Uſque adeo in præceps ferimur. Mare pondere vaſto
Ingemuit, Nimphæque imas fugere ſub undas.
Eſt in conſpectu Libani ſub vertice lucus
Arboribus, ſcopuliſque minax, nigræque ſub umbra

Ma-

Majeſtate ſacer, nullis hic cantibus auras
Demulcent volucres, deſerta per invia tantum
Turpe gemit ſerus ferali carmine bubo.
Non illas Fauni latebras, Satyrique petulci,
Non Hyades, Dryadeſve colunt. Deus has tenet oras
Quis Deus incertum eſt, olli centena per umbras
Funerea taxo, triſtique ornata cupreſſu,
Et ſanie, & nigro ſquallent altaria tabo.
Tum fremitu ingenti dejecta cacumine ſummo
Per flexus, cauteiſque viam meditata ſonanteis
Unda ruit, raucoque rapax rotat agmine truncos.
Quin etiam mugire ſolum, & juga denſa moveri
Viſa olim, ſiquis veſtigia ferre prophanus
In nemus umbriferum, vel ſacro inceſſere ferro
Tentaſſet ramos; tamen hanc proſcindere ſilvam
Dux jubet Æmathius; ſed juſſa capeſſere miles,
Arcanaſque pavet montis tentare latebras
Et violare Deos. Torpent enſeſque, manuſque.
Tunc auſus validam primus librare bipennem
Rex fuit, atque metu trepidantia ſolvere corda.
Nec mora nec requies denſos impacta ſecuris
Per ſaltus reſonat, jacet hic ornata trophæis
Populus Herculeis, fluctuſque hauſtura marinos
Alnus, fraxineumque decus, ſtelliſque minantes
Æthereis orni, teloque intacta tonantis
Quercus, & Idææ pinus, picææque liquentes,
Palladiumque nemus recubat, cedruſque cupreſuſque

Inge-

Ingemit omne latus montis, Phœbumque peroſus
Accipit antiquæ poſt nigra ſilentia noctis.
Hinc avidis pretio fleturis bella colonis,
Et currus trahit, & forti cervice juvencos.
Tunc & tota viis diſcurſant agmina plenis.
Hi plauſtris vectant ornos, hi magna lacertis
Saxa rotant, montis pars non temnenda ſuperbi.
„ Formicæ veluti ſegetem cum forte repoſtam
„ Solicitæ populantur agris, it gramine toto
„ Anguſtis gens nigra viis, frumentaque parvis
„ Adportant obnixæ humeris, celliſque recondunt (ſim
„ Hinc properant, atque hinc properant, urgentque viciſ-
„ Se ſe omnes, fervet magno via tota tumultu,
„ Et circum multa exſtruitur mons altus arena,
Jamque maris ſummos conſtringunt robora fluctus
Obſtanteſque gemunt cautes. Stupefacta juventus
E muris, belli prorſuſque ignara futuri
Cæptum irridet opus, citius quo Dorica pubes
Noctem addens moli invigilat. Stat teſtis in omni
Dux facto, accenditque animos, partemque laboris
Arrogat ille ſibi haud modicam, laudatque, movetque,
Speſque, pudorque viros agitat, tum litore toto
Fervet opus, mare non ſolitis immugit habenis.
Ecce autem liquidis bellum indignatus ab antris
Neptunus Pater ex Helice remeabat opaca
Centum ubi Pamphylii fumant ſibi thuris acerræ,
Et ſibi centenas tauri cruor imbuit aras

Vix-

Vixque procul lentas. Macedum conſurgere turreis
Sublimemque exſtare videt ſuper æquora molem
Quum pectus ſubito furiis commotus acerbis
Quaſſavit caput, & virideis perque ora capillos,
Perque humeros ſparſit, tremefecitque æquora vultu.
Tunc rapidus Delphinas agens ſub gurgitis imum
Cæruleum Tritona vocat. Procul ille parentis
Paſcebat turpeis freta per ſpumantia phocas
Quas ſibi ſervandas dederat pro tempore Protheus.
Conſtitit ut notas vox patria perculit aúreis,
Squammiferoſque errare gregeis per cærula paſſus
Adſtitit æquoreis redimitus tempora ramis.
Tunc pavido Genitor flagrans cita verba profatur:
Eja age gnate voca Divos. Secat agmen aquarum
Ocyus, ac longo contorquet cærula ſulco
» Ceu quondam Sonipes cruda in certamina ſignum
» Impatiens ſervat, jamque auribus emicat, & jam
» Mandit fræna ferox, tandemque repagula pulſans
» Irruit, immanique offundit pulvere circum.
Vixque maris fundum tetigit cornuque recurvo
Horrendum intonuit, tremuit quum murmure pontus,
Sicanium latus, & centumgemina oppida Cretes.
Protinus e latebris magno coit omne tumultu
Concilium deforme Deum. Stat gurgite in imo
Templum excelſum, ingens, Neptuni regia, centum
Penſile marmoribus queis vel formoſa Caryſtos
Enitet, aut Cybelæus ager, pueri unde nefando

Atque Ephyre, & Panope qua non præſtantior ulla
Puniceis madidum caput exornare corollis;
Ambroſiumque coma ſpirans Colomellis odora:
Sedere omnes, & vultum obvertere loquenti,
Inde gravis ſolio Genitor ſic fatus ab alto eſt:
Æquorei proceres, campos queis cura marinos
Aut placidos turbare, aut demulcere tumenteis
Sorte data eſt, noſtros audet Jovis impia proles
Ecce, ferox fineis violare, & mole ſuperba
Ponere jura mari, & tumidos compeſcere fluctus
Nempe Deo tutus Genitore, aſt improba nunquam
Perficiet cœpta, aut noſtris regnabit in oris
Donec ego invicti decus immortale Tridentis
Obtineam, veſtriſque, animi ſpes maxima noſtri,
Conſiliis, opibuſque, & numine fungar amico.
Hæc ait, & madidis cinctam Thaumantida nimbis
Acciri propere jubet, ut ſtetit, illa: Tyranno
Hæc, inquit, cita redde Jovi: fulgentia Cœli
Templa regat, ſoliſque vias, & Sidera certis
Legibus adſtringat, Superis ſe extollat in oris
Jupiter. Ecce opibus fretus, patrioque ſuperbus
Numine Pellæus juvenis conſtringere frœnis
Æquor avet, moleiſque, & turreis inſuper altas
Ædificat, pelaguſque premit: compeſcat inaneis
Ille minas, mentemque paret frœnare furentem.
Ni faciat, caſtra ipſa ducis, molemque, viroſque
Disjiciam procul uſque manu, vertamque tridenti.

Di-

Dixerat, aſſenſere omnes, plauſuque ſecundo
Infremuere. Volat picto Thaumantias arcu
Purpureos infecta ſinus, pennaſque rubenteis,
„ Inde Larus veluti rapido ſecat impete fluctus,
„ Quæ indomiti propter litus maris imminet alta
„ Piſcibus, & ſummæ ſalſugine tingitur undæ.
Utque domum celeri pervenit ad uſque volatu
Qua Genitor Superum ſtabat comitante caterva,
Mandata exponit trepidans. Adſtantibus alto
Sævit corde furor. Mediis tunc fervidus heros
Amphitruoniades, iram cohibere ſilentem
Haud potis, in taleis diſſolvit pectora voceis:
Quæ te, ſumme Parens Divum, clementia lentum
Impedit, indignive tenet reverentia fratris?
Siſtitur, heu, fulmen? nec adhuc flagrantia, cerno
Æquora, ſemiferoſque Deos? At rector Olympi
Compeſcitque minas gnati, placiduſque profatur:
Neptunus frater ſervet ſua jura, meumque
Haud veritus gnatum fineis tueatur avitos.
At ſcio nequicquam egregios tamen ille triumphos
Obſcurare parat, manet, æternumque manebit
Immotus fatorum ordo, quippe ardua tandem
Conſurget moles, fluctuſque evecta marinos
Deſpectabit ovans; at vos, mea maxima cura,
Cælicolę, non hæc animo accipiatis iniquo.
Nec mihi tam fera corda rigent, nec pectore toto
Æmathius ductor, vel ceſſit Olympia mater.

Ar-

Ardua virtutis, via tandem æterna parabit
Gaudia. Phlægræos quondam ſuperaſſe Giganteis
Terrarum imperium nobis, dioſque triumphos
Supra homines, ſupraque Deos dedit omne per ævum.
Nam neque pampineis redimit qui tempora ſertis
Cœleſti Bromius ditaſſet nectare Divos
Victor Erythræis ni tandem egreſſus ab oris
Lyncas agens uſtos hederis conſtringeret Indos,
Nec te, quadrijugo templa hæc fulgentia curru
Scandentem Regina Deum doluiſſet ab aſtris
Ni prius Argolici crudelia juſſa Tyranni
Viciſſes virtute pari, ſœvumque Erymanthi
Placaſſes nemus, & Lernæ confixeris anguem.
Tantum erat ætherea mecum dominarier arce.
Sic ait, & quaſſans caput immortale per ora,
Perque humeros fluxere comæ. Stetit omne Deorum
Concilium, & ſummi tremuere palatia Mundi.
Aurea tunc nitidis Iris perlabitur alis,
Neptunumque monet, qui protinus agmina Divum
Inſtruit, utque ducis Graii prærumpere caſtra,
Utque viros, utque arma velint tumulare ſub undis
Hortatur, Glaucumque ſimul, velocior unus
Qui fuit in cunctis adverſa ad litora, mollis
Qua regione loci thuris nemora inter odora
Gens Arabum jacet, effuſo contendere curſu,
Inſuetoſque animos crudi Mavortis amore
Solicitare jubet. Liquidas ſecat ocyor Euris

Ille vias, tandem ut latis magalia campis,
Atque humileis tetigit peregrino in rure penateis,
Protinus immutat vultum canaque verendum
Majeſtate caput, contractaque tempora rugis
Præſtitit, ac toto mentitur corpore numen,
Et noti vocem mutatus, & ora Magonis
Adſtanteis tali adgreditur ſermone colonos:
Eheu priſca fides! quantum volventibus annis
Deteriora manent ſubeunda nepotibus ægris!
Atque equidem memini infelix, quum nulla ſub oras
Arma ignota ſuas noſſet Panchaia tellus.
Nunc autem vidiſſe parum eſt. Quam multa furentis
Senſimus, o Socii, crudelia vulnera belli!
Omne tenent latè Macedum fera caſtra, nec uſquam
Aut tutus pecori locus eſt, aut ſemina ſulcis
Fida recondit humus, pingues jam colla juvenci
Suſpendunt non trita jugis, & inutile paſſim
Exeſum ſcabra ceſſat rubigine aratrum.
Quin etiam ingenteis noſtris è ſaltibus ornos,
Saxaque ſubvectant: nec vero hæc commovet urbem
Pernicies, noſtros ut vindicet enſe laboreis.
Verum age, quid ſævum patimur conſiſtere noſtris
Agmen agris? ferro armati, duraque bipenni
Obſiſtamus, ait, lucemque auferre paremus.
Dixerat, atque animos ſtimulant rabieſque, pudorque.
Armantur, totoque ruunt ad litora curſu.
Fors ibi parva manus juvenum conſtruxerat altam

Con-

Congeriem lapidum, vectaſque e montibus ornos.
Olli palanteis, & iniquo pondere feſſos
Obtruncant, totiſve jubent excedere campis.
Tuta petunt reliqui, Regique ex ordine pandunt
Inſidias, dirumque nefas. Stetit ille dolore
Fixus, acerba tuens, tandem fulgentia turmas
Signa movere jubet, peditumque, equitumque cohorteis.
Ipſe quidem auratis primus ſplendeſcit in armis,
Inque Arabas properare truceis, fineiſque Sabæos
Imperat, ac Tyriam molem, turreiſque, viroſque
Committit Cratero, & rerum permittit habenas.
Extemplo e caſtris movet agmina, jamque per agros
Pulverulenta Notis coeunt cava nubila, jamque
Dura putreſcenteis ſonitu terit ungula glebas,
Aviaque hinnitu loca late implentur acuto.
Agmen agens ipſe Heroas ſupereminet omneis
Bucephalo inſidens, auro, Phrygiiſque tapetis
Inſtrato, micat hic, proprioque decore ſuperbus
Vertitur hinc inde ad numeros lituique, tubarumque
Indocilis madidis frœnarier ora lupatis.
" Qualis Erythræis lotus Cytherejus ignis
" Surgit aquis, roſeumque jubar ſuper alta micanti
" Pandit equo; ſed enim domini non paſſus habenas
" Purpureas vomit ille faceis, pellitque tenebras.
At parte ex alia Pœni procurrere primum
Incœpere opus, ac levibus per cærula cimbis
Inſultare viris, raptimque inceſſere telis.

Acri-

Acrius hoc operi accingunt, jamque alta ſub auras
Turris erat non urbe procul, ſtupuere feroceis
Pœni animos Danaum, tantiſque obſiſtere cœptis
Non ullis valuere opibus, non artibus ullis.
Ergo ægræ in templum matres, mixtique puelli
Virginibus, tardique ſenes properantque, ruuntque.
Iunonique preceis magnæ, magnoque canebant
Amphitruoniadæ, Europamque, Patremque Lyæum,
Indigenaſque Deos, Nymphaſque in vota vocabant.
His commota poli ſe ſe qua parte ferebat
Divorum Regina, Soror, conjuxque Tonantis
In Tyrium advertit litus furibunda jugaleis.
Iamque propinquabat portis, urbemque ſubibat,
Quum ſe nube cava, currumque, rotaſque volucreis
Obtegit, & mentita Deam Dea callida geſtu
Obtutuque ſenem fingit, cui Ninus ab annis
Paruerat primis, clarum, multiſque potentem
Conſiliis, opibuſque virum, linguaque diſertum. (tem
Tunc juvenem adgreditur meditantem, & corde gemen-
Infandumque urbis patriæ. infandumque ſuorum
Exitium: Ne, care time, ſub gurgite Regis
Agmina Pellæi verti, volvique videbis
Hæc modo, non ignota loquar, ſub pectore ſerva:
Eſt in conſpectu, oppoſito qua litore cautes
Illiſo reſonant pelago ſub vertice montis
Illicibuſque niger lucus, multaque cupreſſu,
Olim Vulcano, quem ſacravere parentes.

Hinc

Huc quum flammigeros ſurgens Tithonia conjux
Ad juga coget equos, & fulgida Phoſphorus aſtra
Ire para, & Nymphas cæſa venerabere vacca,
Quarum præ cunctis pulcherrima Deiopæa
Compellare viros dabit, inque ſtrepentia ducet
Artificum loca, fumanteiſque ardore caminos.
Vocibus his juvenis vireiſque, animoſque recepit.
Et quis, ait, Superum, talem tibi pectore mentem
Indidit? o Pater, adſpicio, mortalia curæ
Sunt Diis. Hæc inquit prono jamque æthere Titan
Fertur, & Herculeo ardentem lavit æquore currum.
At Ninum curæ indocilem non carpere ſomnos
„ Non quieviſſe juvat, ceu quum male fœda peredit
„ Membra lues, hinc inde vagus provolvitur æger
„ Incuſans tardumque diem, tardoſque morari
„ Quadrijugos Phœbi currus: vixque ardua ſummi
Fulgebant Libani radiis juga matutinis,
Protinus exurgit, rutiliſque accingitur armis,
Et fido comitata ferens veſtigia verna
Committit ſe ſe pelago, nec dum æquore Phœbus
Extulerat caput, & flavam veneratus arenam
Litorea Ninus religarat ab arbore puppem.
Tunc citus ingreditur lucum, nitidamque juvencam
Veſtibulo ſiſtit primo, cui cornua fronti
Reſplendent aurata, ſacro lavat inde Lyæo,
Et medias vellit ſetas, tum colla bipenni
Diſſecat, & votis hanc (nemorum queis cura) juvencam

Muc-

Macto Deæ, clamat, tacitis at pulſa cavernis
Vox repetit ſonitum, & trepidas adlabitur aureis.
Extemplo turbatæ animis, ut fortè per antra
Curſabant celeres aliæ, ſomnoſve minaci
Carpebant ſub rupe; novi ſed præſcia caſus
Deiopæa viri gemitum, vocemque loquentis
Agnovit, thalamoque, prius quo forte jacebat,
Gramineo exurgens juvenem petit, aureus olli
Baltheus undantem ſtringit ſub pectore veſtem,
Et procul attonito roſeo ſic ore loquuta eſt.
O Princeps (neque enim Divum me clara propago,
Aut nomen, tantive latent caſuſque, laboreſque)
Euge animo, nequicquam equidem non litora noſtra
Juſſit adire parens, Macedum te cura remordet,
Hic tibi parta ſalus, me nunc per opacà viarum
Pone ſequi modo ne pigeat, ſic fatur amicè
Abducitque manu juvenem, quaque invia dorſum
Arboribus, ſcopuliſque minax exurgit in altum
Silva virens magni gelido ſub vertice montis
In ſpeluncam agit informem, ingentique receſſu
Terribilem, obſcuramque, olli tremor occupat artus,
„ Ceu Phlegetontæas juſſo tranare paludeis
„ Quum procul apparent tenebris fera culmina denſis,
„ Nigraque Tænarij montis iuga, territa pulſat
„ Corda metus, languentque modis membra omnia miris
At Dea, ſume animos, magni penetralia cernis

Vul-

Vulcani, quæque ille ſuis conceſſit alumnis
Namque Phyliſtini, gens hic fortiſſima ferrum
Mole gigantea gens effera, dura labori,
Hic, inquam, ferrum exercent, æriſque metalla
Namque aliis ſtudium liquidi deducere rivos
Sulphuris, argentique liquentia fulmina vivi.
Scintillas alii rimantur, & ignis anheli
Semina, præduræ ſilicis latitantia venis.
Aſt alii optatum vobis mortalibus aurum
Excudunt, multoque laborant robore maſſam.
Namque ollis cunctos belli exitialis in uſus
Lesbous genitor moleis, inventaque nunquam
Ingeniis hominum variis conflare metallis
Conceſſit, firmaque rateis compage tueri.
Omnibus his ſenior præſtat Phobus, hacque ſub oram
Qua degit, ni fallor, iter breve, corripe greſſum
Mecum, ait, o juvenis, virgo, procul ecce ſonoros
Incudum gemitus, crepitantiaque æra caminis
Accipio. Tandem ut vaſtum pervenit ad antrum.
Cuſtos (ſenſit enim venienteis) heus procul, inquit,
Eſte procul, pueri, non hic mortalia cuiquam
Ferre licet Divum ſacris veſtigia lucis.
Sic ait, & longe ſonuit mare, curvaque circum
Litora, & attonitis ſonuerunt antra cavernis.
Vix ea quum ſeſe immani gens effera mole
Extulit e caveis, nigro cui plurima mento
Barba riget, ſquallent hirtis membra horrida ſetis

Pube tenus ferrugineo circumdati amictu
Cætera nuda gerunt, his toto vertice ſupra
Stat Phobus, at reliqui retro comitantur euntem
„ Centauri veluti, aut ſœva tellure creati
„ Gramine Phlægræo, Threſſis ſeu montibus acri
„ Succedant animis pugnæ, cœloque minentur.
Ut tamen oris honos, roſeoque in corpore fulgor,
Ambroſiique procul divino è vertice odores
Monſtravere Deam, actutum furiæque, minæque
Ceſſarunt, trepidique animi, & fera corda quierunt.
Tum vero adgreditur ſupplex, lacrimiſque profuſis
Deiopæa virum, caſuſque ediſſerit omneis,
Audaceiſque vias Macedum, vireiſque ſuperbas
Divus ad hæc: contemne metus, me vindice pœnas
Perſolvet Tyriis puer hic. Quid numina Divum
Obſiſtit contra? Moleis, turritaque ponto
Infirmis caſtella jugis nox una ſub undas
Demittet, nec vana loquor, quum craſtinus altum
In mare præcipitet candentia Phoſphorus aſtra,
Ipſe ego veſtra cavam deducam ad litora puppem
Qua moles inimica ruat, turreiſque, viroſque
Secum agat in fluctus. Dixit, juvenemque, Deamque
Securos animi tenebroſa per avia rurſum
Dimiſit, ſocioſque labore hortatur ab omni
Ceſſare, atque uni curandæ incumbere puppi.
Vix ea, quum rapidi expediunt tabulaſque, trabeiſque
Præduros nexus, longaſque trahentia flammas

Sul-

Sulphura, nigranteiſque piceis, lapideiſque, ſudeiſque,
Harpagonaſque, faceiſque atras atque illita ſuccis
Tela venenatis, liquefacta atque æra caminis
Adglomerant, jamque ex antris pulcherrima virgo
Egregium juvenem deduxerat, inque cavatos
Nympharum ſcopulos greſſum comitata ferebat.
.. Saxum erat ingens, in curvo ſtans litore ſaxum.
.. Ore cavo, quod nulla manus fulcire columnis
.. Auſa, nec argento cælare, aut jaſpide poſteis,
.. Humana major moles, non arte magiſtra
.. Marmaricum Lybiæ, aut errantem in gurgite Delon,
.. Te quoque, Diva Paphi, te, Nilo divite, Memphi,
.. Deliciis ſuperans, imo nam a limine ſaxi
.. Multiplici intertextu, incruſtatoque lapillo
.. Adſurgit varius flexo curvamine fornix.
.. Penſilis hic clatros obrepens vitis opacat
.. Clauſtra viæ, texuntque leves umbracula frondes.
.. Hinc procul arenteis quos Sirius excitat æſtus
.. Propulſant Zephyri, ac leni cum murmure rivi.
„ Qualis vere novo ſua regna inviſere Chloris
„ Quum ſolet, exultat, pictoque decore, ſuperbit
„ Omnis ager, tum fonte fugax per florea prata
.. Unda levis ſerpens radicibus oſcula libat,
.. Et violæ ſuccum, Aſſyrium quoque carpit amomum.
Hic Ninus verſatque oculos, & ſingula ſecum
Miratur tacitus, quum jam rota fervida Solis
Torret agros medii librato pondere mundi.

At poſtquam ad magnæ ventum eſt penetralia Divæ
Inſtaurant epulas Nymphæ, pars candida portant,
Inſternuntque amplis celeres mantilia menſis,
Pars dapibus tabulas onerant, pars dona Lyæi
Exoptata ferunt, manibus hæc flumina fundit
Cælato argento; aſt aliis Panchaia curæ
Thura cremare focis, quæ poſtquam Diva benigno
Proſequitur ſermone ducem, quæque arma ſuperbi
Æmathiæ Regis, Tyria aut quà mœnia tentet,
Quà jaceat moles, aut qua fundamina ponto
Jecerit arte rogat, jamque aurea tecta reviſens
Thetidis, inflexo languebat Phœbus Olympo,
Quum ſcopulos linquens, magnæque palatia Divæ,
Conſcendit juvenis puppim, nec flamina velis
Luna negat, curvo rutilans argentea cornu.
Ecce autem Tyrij nudati membra ſub undis
Qua molis cæmenta jacent, quo nititur axe
Obſcuri rimabantur, nec dia fefellit
Cura viros, namque ipſe pater Neptunus ab alto.
Saxaque, truncoſque, atque actas è montibus ornos
Præcipitaſſe furens viſus, duroque tridenti
Infregiſſe, juvant Nymphæ, Divique marini.
Aſt olli facileis volvunt ſine pondere truncos,
Et pinos, totaſve trahunt ad litora quercus.
Inſtant victores Tyrii; nox tota ſub undis
Exigitur, nutat moles, & victa labaſcit.
Interea Oceano ſurgens, ac divite regno.

Aure-

Aurora in croceo fulgebat roſcida curru,
Quum procul adverſus curvat quà litora Nereus
Terribilis viſu puppis cita fertur in altum
Nam quater hæc ponti liquentia marmora centum
Verberat arboribus, veliſque capacibus, omnem
Quum raperet flatum, ingenti ſe mole ferebat.
At circum gemini ſindunt ſalis arva phaſelli.
Jamque propinquabat moli, turreiſque ſub ipſas
Conſtiterat, quum tranſtra citi liquere miniſtri.
Solus at inſida tacitus ſub puppe magiſter
Corripit ignita picibus lita robora reſti,
Dein præceps toto mittit ſe corpore in undas,
Tuta petens, ſociæ ſindunt qua cœrula pinus,
Et primum tacitus totas dum colligit iras
Se tenet, atque alitur cœco cum murmure vortex.
Mox ſubito horrendum increpuit, coſtaſque, rudenteiſque,
Antennaſque, actoſque vomit ſub ſidera truncos.
Tunc toto tabulata volant flagrantia cœlo.
Saxaque & ardentes venti per inania glandes.
Ambeſæque trabes. Hærent in turribus altis
Spiculaque, accenſæque faces, jamque ardua cedunt
Tecta laboratæ molis, raptuſque furenti
Ignis edax Auſtro per ſumma cacumina regnat.
Hinc prope ſemiuſtæ volvuntur in æquora turres,
Et ſonitum ingentem latè, flammaſque volutant.
Jamque viri, jam tela natant, latè omnia complet
Dira lues, volat immiſſis Vulcanus habenis

Atque

Atque urbem, atque ratem, pelaguſque, polumque removit
Ex oculis atra piceus caligine nimbus.
At ſubtus nigris etiam Neptunia flammis
Arva boant, rimis, & hiatu rupta dehiſcunt
Æquora, jamque Erebi poſteis, & pallida gurges
Regna aperit, jamque interdum fulgentia pulſat
Tecta Deum, & ſummæ ſalſugine verberat undæ.
Tum ſtrepitu horriſono flammis compage ſoluta
Lignea præcipitat moles, hinc inde natanteis
Cernere erat clypeos, trunciſque cadavera membris,
Semineceiſque virorum artus. Ignita profundus
Saxa verrat pontus, cinereiſque immiſcet arenis.

PON-

PONTIANI TUGNONII
ALEXANDRIADOS,
LIBER TERTIUS

ARGUMENTUM.

POſt molis ruinam Tyrij in gratiarum actionem Dijs ſacrificia perſolvunt ipſo in litore. Ingens trepidatio in caſtris Macedonum. Interea Alexander poſt devictos Arabes in ſomnis admonitus Jeroſolimas petit, ubi ab Jaddo ſummo Hæbræorum Sacerdote honorificentiſſimè exceptus Judæorum Religionem, ac priſcorum temporum geſta, nec non & oracula ad ſe ipſum exſpectantia, tandemque molis ruinam, ac ſuorum trepidationem edocetur. His auditis in caſtra revertitur, molemque aliam ad Septentrionem erigi jubet. Torpentes animos, ac labore territos ſomnio, atque Herculis viſione confirmat. Accedit oſtentum diſſecti panis, & cruo-

D *rem*

manantis, tum Ariſtandri vatis interpreta- quæ novam militi alacritatem addiderunt. Alexander ſolemne ſacrum indicit; quod excipit grande convivium, in quo multam ad noctem, Philippi Patris, & ipſius Alexandri clariora facinora canit Amyntas. Tandem claſſis è Peloponneſo advenit, Cyproque, cujus præcipui duces recenſentur.

Ergo hilares caſu certatim ad litora Pœni
Adproperant numero ingenti, fit plauſus, & alta
Undique conſurgunt feſtis altaria ramis
Mulciberoque, Jovique, ac Tœnario Neptuno,
Reginæque Deum Samiæ. Stant mœnia circum
Mille boum aurato fulgentia corpora cornu,
Milleque lanigeræ nigrantes terga bidentes.
Ingeminat clamor, largoque cruore rubeſcunt
Litorei ſcopuli, & bibulas, quæ lambit arenas

Unda

Unda fluens, refluenſque, ſacris tunc ignibus arces
Nocte micant tota, & cantus, vigileiſque choreas
Uſque trahunt magni ad ſurgentia lumina Solis.
At parte ex alia in Grajos diſcordia demens
Junonis concita odijs Acherontis ab unda
Sanguineum crinem diris innexa colubris
Irruerat, triſteiſque faceis, iramque malignam,
Ambiguoſque dolos, & crimina noxia ſecum
Inſidiaſque ferens, olli maleſuadus adhæret,
Atque animos metus informi ſub imagine mæſtos
Exagitat, turbantque modis ſpectra horrida miris.
Et fugiunt miſeri, & fugienteis uſque fatigat,
Inſequiturque tonans crudo Dea ſæva flagello,
Intentanſque atros tetris e crinibus angueis.
Jamque Arabas Macedum ductor devicerat, & jam
Jura triumphatis populis, legeiſque relinquens
Dives opum, dives gemmarum, aurique Sabæi
Sarranum in litus, reditumque in caſtra parabat,
Atque iter ingreſſo campis nox altera ſurgit
Volventemque imo varias in pectore curas
Continuo madidis placidus ſopor occupat alis.
In ſomnis ſanctoſque locos, lateque fluentis
Iordanis penetrare lacus, Solymæque receſſus
Religione Patrum, & præſenti numine ſacros
Vox incerta monet. Blando citus ille cubili
Proripuit ſeſe, tendenſque ad ſidera palmas
Hinc atque hinc oculos verſat, quæritque loquentem.

Ut

Ut data cernendi eſt, aut fandi nulla poteſtas,
Audio, ſumme Parens, inquit, ſequar atque vocantem.
Vixque albeſcebat radijs mare, protinus omneis
Flectere iter ſocios ad lumina Solis Eoi
Palmiferoſque jubet campos florentis Idumes.
Ergo iter accelerant, & jam delata per auras
Fama refert Macedum ductorem ab litore in urbem
Agmina bellantum, & victricia vertere ſigna.
Ut procul e muris peditumque, equitumque cohorteis
Adventare vident, tota trepidatur in urbe.
At Jaddus rex idem hominum, templique Sacerdos
Ignaros rerum, pavidoſque, atque arma paranteis
Mulcetque, & blando prudens ſermone coercet.
Mox aurum capiti, & lunatæ cornua mitræ
Carbaſeamque humeris veſtem, in taloſque fluentem
Induitur, tegit hanc texto hyacinthina limbo
Incumbens genibus alia, atque alterna per oras
Aurea penſilibus reſonant crepitacula malis.
Mox longo procerum extra urbem comitante Senatu
Obvius egreditur ſenior, caſtriſque propinquat.
Obſtupuit viſu in ſubito Pellæius heros
Fatidicique viri facies, incanaque menta
Viſa olim, multumque oculis, animoque recurſat
Veſtis honos ſacer, & niveæ redimicula frontis.
Ergo miratur tacitus, totumque pererrat
Luminibus trepidis venientem, hæretque tuendo.
Mox prior inflexo pronus ſic poplite fatur:

O quem te memorem, Pater? an delapſus ab oris
Æthereis ades interpres divum? an Deus ipſe?
Haud equidem mortale refers. Noſco ora, manuſque?
An fallor? Tune ille Deo mihi lapſus ab alto
Nuncius ad Litani ſtarem quum fluminis oras?
Adloquere, & dubios animi tu dirige greſſus.
Non mea me virtus; ſanctorum oracula Divum
Imperijs egere ſuis, ut viſere muros.
Et cœlo chara tentarem admitier arce
Non inimica vides, infeſtaque mœnibus arma.
Sic fatur, cunctique ſimul, proceresque Pelaſgi
Attonitis ſtabant ſimiles, Judæaque pubes.
Ad Jaddus caro circumdans brachia collo:
Ille ego, pone metus, magnique oracula cœli
Inſequere, & ſacris ſuccede penatibus hoſpes.
Nec plura his, numero ex omni tunc ductor Achivum
Selegitque viæ comiteis, urbique propinquat,
Et Solymis longe reliquos a mœnibus arcet.
Urbs fuit antiquo gentis de nomine Jebus
Inde Salem, ſenos complectitur ardua monteis,
Turritoque omneis cingunt diſcrimine muri.
At qua Sol radiis colluſtrat mœnia primis
Templum auguſtum ingens, Pariæ cui mille columnæ
Porticibuſque cavis, atriiſque capacibus exſtant.
„ Ter credas ſpatijs ternas ingentibus altas
„ Stare urbeis, latis tot propugnacula muris,
Tantaque ſe facies aperit, tot in æthera turres

Con.

Conſurgunt fulvo introrſum veſtita metallo
Cuncta micant. Grajum miratur ſingula ductor
Ingenteiſque minas murorum, arceiſque potentum
Regum opera, ac templi ſurgentem ad ſidera molem
Et jam Sol cœli medio conſederat axe.
Succedunt tectis, magnam quæ tota per urbem
Regifico luxu proceres, Jadduſque ſacerdos
Ornarant Regi, ducibuſque colenda Pelaſgis.
Inſtituunt de more dapeis, menſiſque remotis,
Ecquis, ductor ait, tanto, pater optime, templo,
Congeſtiſque opibus colitur Deus? unde priorum
Religio Patrum, populique ingentis origo?
Nulla meis quoniam ſe ſe conſpectibus offert,
Aut Jovis, aut magnæ divorum matris imago,
Alteriuſve Dei, totus quos orbis adorat.
Tunc Jaddus placido ſenior ſic pectore fatur:
Magna petis, Princeps, & quæ non auribus iſtis
Accipere expediat, vobis nam Græcia mendax
Mille Deum turpeis varia ſub imagine formas
Edocuit colere, humanoque e ſemine cretos
Poſſe Deos fieri poſt mortem credidit amens.
Nec verita eſt magnis affingere crimina Divis.
Scilicet ut Phœbi, Veneriſque exempla ſequuti
Eluerent nullas ſcelerum, nullaſque timerent
Divorum artifices ab cœlo vindice pœnas.
At nobis unus Deus eſt, non fœmina, non mas
Æternus, ſimplex, terreno a corpore longe.

Nec

Nec natura Dei quaquam contenta figura eſt,
Non manibus, non illa oculis, non ſenſibus ullis
Pervia, principioque carens, & neſcia finis.
Concluſum nuſquam cohibent loca, totus ubique
Spiritus in parteis ſimul unus diditus omneis.
Omnipotens etiam, & nullo variabilis ævo,
Terraſque, tractuſque maris, cœlumque profundum
Mente regens, caſus nullo non tempore noſcit,
Qui ſunt, qui fuerint, & erunt quicumque futuri.
Informem hic primum terram, atque immane barathrum
Ex nihilo fecit, quæque indigeſta jacebant
Semina diſtinguens, mox fulvum effulgere ſolem,
Atque dedit lunam, & cœli ſeptemplicis orbeis,
Aurea limitibus diſcernens ſidera certis,
Sidera continuo ſurſum labentia motu,
Arcturumque Hyadaſque, atque auripedem Menalippen,
Atque Helicem, atque Hydram, ſeptemgeminoſque Trio-
Tum terris diſcrevit aquas, & litora ſœvo (nas.
Oppoſuit pelago, hæc dicens, luctantibus undis
Meta erit, hic fluctus æſtu confringe tumenteis.
Statim piniferi tollunt capita ardua montes,
Et Cereri gratæ reſident humiles convalles.
At viridemque herbam, frondeiſque induta recenteis.
Terra parens, pulchros ſubmittit Dædala floreis. (tum
Hinc volucrum, pecudumque genus, genus omne natan-
Nobiliorqne hominum generi, ac cœleſtis origo eſt.
Nam Solis radijs, & multa luce coruſcus

Ipſe

Ipſe manu Pater Omnipotens membra ardua limo
Finxitque, infuditque animum rectique capacem,
Altos quique gerat ſenſus, arcana parentis
Signa Dei impreſſos referens in imagine vultus,
Divinoque ex fonte ſupernæ particulam auræ.
Singula quid memorem? ut legeis, ac juſſa Tonantis
Fregerit humani generis pater, anguis iniqua
Deceptus fraude, & maleſuadæ victus amore
Conjugis. In præceps ſic jam ſublapſa ruebat
„ Conditio infelix hominum, ceu cum obiice nullo
„ Montibus ex altis in apricos flumina campos
„ Exſpatiata ruunt, undiſque rapacibus actas
„ Prærupto avulſas torquent e vertice rupeis,
„ Et ſata culta boum, atque caſas humileis paſtorum,
„ Atque armenta, gregeïſque ovium, truncoſque ſonanteis.
Hinc Deus Omnipotens moreis exoſus iniquos
Axe tonat, tellus ſonitu concuſſa remugit.
Tum cœci fontes, undoſaque flumina ripis
Exiliere ſuis. In terram effunditur ingens
Carcere prærupto Oceanus, pelagoque ruenti
Arva ſecat, valleiſque cavas, colleiſque ſupinos
Horrendum reſonans tumidarum murmur aquarum.
Mox denſi erumpunt gravidis e nubibus imbres
Et quater ingeminant denas nocteiſque dieſque.
Nec tellurem ultra, cœlum undique, & undique pontum
Adſpectant miſeri. Indigna ſed ſtrage Noemum,
Orbe fuit toto qui ſervantiſſimus æqui

Eripuit Pater, & chara cum prole redemit,
Incolumemque cava docuit freta currere puppi.
Iſtius de ſtirpe viri nova venit in orbem
Progenies hominum, Europam, Lybiamque peruſtam,
Quique colunt Aſiam, & ſemotæ ab litore gentes.
Charior at ſuperis proles pulcherrima Semi
Antiquos cultus magnorum edocta parentum
Servavit ritus cœli queis numen adorat.
Hinc Abraham, & magni ſoboles biſſena Jacobi,
Unde trahit ſacrum gens Iſraelitica nomen.
Quid referam ingenti domitos virtute tyrannos?
Cui non dicta Joſeph pietas, Moyſique potentis
Virga, Parætonio heu deteſtata Canopo?
Atque equitum, peditumque manus, curruſque natantes
Æquore Erythræo, poſtquam ſpumantia ſiccum
Præbuerant iter, hinc inde exſurgentibus undis
Victori populo diviſi marmora ponti?
Quidve canam cœlos, Hyperioniosque jugaleis
Imperiis ceſſiſſe tuis, dux inclyte Jeſu,
Et longum traxiſſe diem? aut clangore tubarum
Proſtratas moleis magnam Jerichuntis ad urbem?
Quo tamen adflati multo vos pectora cœlo
Abripitis feſſum vates? pulcherrimus inde
Trunca triumphati David capita alta gigantis
In templum fidibuſque refert, ſceptroque decorus,
Theſbiteſque auris, nimboque invectus aperto
Flammato aſtrigerum delatus in æthera curru

Igne rotas multo, temonemque igne coruſcum,
Ignitoſque vocans docileis ad fræna jugaleis.
Quid loquar amiſſæ referentem corpora vitæ
Patrem Eliſeum? Magnorum & fera crimina regum
Amoſidem verbo inſectantem, atque ore rotundo?
Aut cladeis populi æternum flentem Jeremiam?
Quid Babiloniacas illum autem ad fluminis oras
Regnorumque viceis, venturaque ſæcla canentem.
Hic primum terris cecinit tua, maxime regum,
Geſta, ſub arcanis involvens fata figuris.
Namque olli Oceano e magno conſurgere quondam
Viſa per obſcuræ metuenda ſilentia noctis
Fulva leæna, duæ ſurgunt cui e tergore pennæ
Expanſæ, ingenteſque, olim ceu lapſa per auras
Alituum regina vagas petit ardua nubeis.
Nimirum Aſſyriæ dominator fervidus oræ
Et Babiloniacæ gentis, populique ſubactor
Chaldæus, magnoque olim regnata Nabuco
Sceptra ferebantur verborum ambagibus iſtis.
Hinc urſo ſimilis villoſæ tegmina pellis,
Atque oculis, atque ore minax exſurgit ab undis
Perſa potens, trino cui candent ordine dentes.
Imperij namque ipſe pater tria regna coegit
Sub juga Achæmenidum, quæ ingentia ſceptra Darius
Nunc tenet, at longos non ilie tenebit in annos.
Jamque vacillanti ſimilis, ſimiliſque ruenti
Uſque labat, nutatque diu, nam tertius alto

Sur-

Surgit ab Oceano Pardus, volucrique ſagittæ,
Parque levi vento, aut excuſſo e nubibus igni.
Huic dextro geminæ a tergo, geminæque ſiniſtro
Conſurgunt alæ ingentes, totidemque ſub auras
Emittit capita alta jubis criſtata cruentis.
Optime rex Danaum, te, te hæc arcana canebant
Monſtra, tuoſque duceis, Pardoque ſimillimus orbi
Jura dabis victo quum formidabile nomen
Extremos ferat uſque ingens tua fama ſub Indos.
At quatuor capita in quatuor ſunt regna ſuperbos
Diſtribuenda duceis, animo quos providus ævi
(Sero implenda tamen faxis regnator olympi)
Jam num forte legis. Dixit, ſiluitque repente
Turbidus, obtutuque hæſit defixus in uno.
At pavidi proceres omnes preſſo ore favebant
Adſtantes. Dux ipſe ſua cum mente revolvens
Poſtrema adflatus dederat quæ verba Sacerdos
Obſtupuit, jamque inluſtri nox frigida cœlo
Aſtrigerum per iter fuſcis adlabitur alis.
Et ſacer ingenti correptus numine vates
Stabat anhelanti ſimilis, dum pectora totus
Ingrueret Deus, & facili laxarier ora
Fatidico ſermone daret, tandem æthera fatur
Adſpectans: Heu quas cladeis, quæ funera caſtris
Æmathijs Tyrius miſcet furor? En ruit ingens,
Cui tantum licuit? moles. Quam turbidus imo
Volvitur Oceanus! cinereis, ſemiuſtaque fluctu

Membra virum tabulaſque ferens, ornoſque natanteis.
Sed rurſum cape ſaxa manu, cape robora, pubes
Argiva, atque iterum turreis, ac mænia tenta.
Eruta poſtremas tandem urbs dabit improba pœnas.
Ergo age; pelle moras, Princeps. En tota recumbit
In te ſpes uno, languent nam corda, manuſque
Militibus, ducibuſque, inquit. Pellæius heros
Talia cui fatur trepidans: memini, o pater, olim
Quum maris ad litus pavido mihi tale canebas
Venturum excidium. Vadam tua juſſa ſequutus,
Et capta ex urbe (haud dubito) non immemor hoſpes
Mille tuas, cœli ſanctum mihi numen, ad aras
Taurorum ingentum fumabunt exta quotannis.
Sic ait, & placidos ſuadent jam ſidera ſomnos,
At regem magnas verſantem in pectore curas
Defecit ſopor, ac trepidum nox longa fefellit.
Vix autem geminos dederat de gutture cantus
Nuncia Solis avis, tectumque, urbemque relinquit
Fervidus, ac Tyrias greſſum molitur ad oras.
Jam jam litorea veſtigia ſignat arena,
Quum procul infeſtum texiſſe cacumina pontum,
Immenſoque trabeis, verſari in gurgite paucas,
Reliquias flammæ, & magnæ veſtigia molis
Adſpicit. Ingemuit, ſecumque arcana volutans
Fata Deum greſſum adglomerat, caſtriſque propinquat,
Ut ventum eſt, tantæ cauſaſque, modumque ruinæ
Exponit Craterus regi, fatalia pandens

Mon-

Monſtra ratis, Tyrioſque dolos. Haud territus uſquam
Ille novas moleis lentus quà plauſtra Bootes
Exagitat, tardoque meant fulgore Triones
Armari jubet, ac nulli ſuccumbere fato.
Aſt indignantes haud mollia juſſa cohortes
Murmure non ullo dictis plauſere ſecundo.
Horrificos ſed enim moreis, animoſque feroceis
Non mulcere rudis, vultus oſtendit amicos
Internumque premit læta ſub fronte dolorem.
Et nox jam terras obſcuro involvit amictu,
Et ſuadet mæſtas animis deponere curas.
Dux tamen infando concuſſus pectora caſu
Multa agitans tota verſabat triſtia nocte.
Ecce autem medijs viſus fulgere ſub umbris
Amphitruoniades. Olli Nemeæa renident
Monſtra humeris, fortemque armabant robora dextram
Solve metus, Pellæe, tibi pater optimus, inquit,
Præmittitque ducem belli, comitemque pericli.
Eja, age, rumpe moras, mecum penetrabis in arceis
Pœnorum, hoſtilique rigabis ſanguine campos.
Sic ait, at juvenis redimitus tempora lauro
Viſus in abruptos, conferta per agmina muros
Quadrijugas agitare rotas, oſtroque decorus
Dona ſibi, exuviaſque urbis luſtrare ſuperbæ.
Vix autem vitreum linquens Aurora cubile
Reſtituit terris pulchra cum luce coloreis,
Quum ductor tanti populis miracula ſomni

Exponit, properent, magnoque ſub Hercule nullis
Extimeant pavidi caput objectare periclis.
Dixerat atque animos ſubitus vigor impulit, ardent
Audaces tentaſſe vias, pelagique ſub undas
Effudiſſe animam juvat. Hinc per confraga montis
Saxaque, truncoſque adglomerant, tunc aggere multo
Surgit opus, longæque minantur in æthera turres.
Interea feſſus caſtris dum corpora curat
Miles, & optatas parat udo in ceſpite menſas,
Præduramque ardet Cererem diſcindere cultris
Monſtrum ingens! riguo divæ manare cruore
Dona vident, araſque, & totas tingere menſas.
Surrexere omnes, & nigra cæde madenteis
Oſtendunt trepidi paneis, cauſamque requirunt.
Obſtupuit, multumque animo dux triſtia verſans
Signa Deum, tandem caſtrorum in parte repoſta
Cernit Ariſtandrum, prorſus juvat ire, virumque
Compellare, Jovi, quo caſtris charior uno
Non fuit, aut Cœli auſpicijs præſtantior alter.
Cui pennæ volitantis iter, cui nota volucrum
Lingua, renidentiſque patent ſigna aurea cœli,
Et fibræ pecudum, & præſaga tonitrua Divum.
Huic triſteis epulas, fataliaque ordine monſtra
Exponit. Superas vates converſus ad oras
Qua roſeas Aurora rotas cita flectit ab Indis
Sic fatur: Quæ, magne parens, hac ſtrage piari
Crimina tanta paras? Non hæc mihi faſſus Apollo

Quum

Quum primum Æmathii (memini) ſub vertice Olympi
Bis ſeptem ingenti mactabam corpore tauros.
Quin potius Tyrias quum promeret ordine fraudeis,
Bellaque, fatalemque ratem, moliſque ruinam,
Invicto tandem crudeleis agmine muros
Quaſſatos cecinit, vitreaque in mole ſepultos.
Tunc demum ante oculos iterum adſpicienda reponi
Fruſta cruentatæ Cereris jubet.
Ut vero interna manantem parte cruorem
Agnovit, ſubito ingenti correptus ab æſtro,
Inſtabileis torquens oculos, crineiſque ſolutos
Fatur, & adtonitum regem, regiſque miniſtros
Solatur verbis, & amica oracula pandit:
Ne, Jove nate, time, genitor tibi maximus urbem
Conceſſit Tyriam, neque me deluſit Apollo.
Namque ima de parte fluens cruor, hoſtibus atram
Portendit cædem, Sarranaque vulnera monſtrat,
At ſecus, externa flueret ſi parte, Pelaſgos
Exitium, miſeræque manerent triſtia ſortis.
Sic fatus vitam cunctis, animumque reduxit.
„ Ceu quondam deſerti obſcura per avia ſaltus
„ Luce ſub ingrata repetens ſua tecta colonus,
„ Deſuper immenſo Jovis aurea templa fragore
„ Miſceri ſenſit, flagranti & fulmine tactum
„ Ante oculos cecidiſſe nemus, trepidatque, pavetque,
„ Nec jam ferre gradum, retro nec cedere tutum
„ Succurrit, ſtatque exanimis, tandem aurea pulchrum.

„ Luna caput victrix denſa inter nubila pandit,
„ Gaudet, iterque gravi repetit ſub faſce viator.
Haud ſecus exultant Danai, grateſque rependunt
Auctorique Deum Patri, glaucæque Minervæ,
Alcidique orbis domitori, omnique Deorum
Concilio; at tanto defeſſus membra labore
Pellæus ductor, totas quum jam humida terras
Nox ſuper, immenſumque gravis ſuper incubat æquor,
Conceſſit cubitum. Vix autem garrula lucis
Prima canebat avis, curis agitatus acerbis
Militibus ſacrum indicit, latitantiaque exta
Conſuli, & aligerum rapidos per inane volatus:
Haud mora feſtinant celeres in juſſa miniſtri.
Aggere tum multo flavæ ſuggeſtus arenæ
Exſtruitur, verniſque niteſcunt frondibus aræ.
Siſtitur hinc pinguis præſtanti in corpore taurus
Divorum genitori, alius tibi, pulcher Apollo,
Alcideque tibi, queis frons aurata coruſcat,
Lunatiſque ferox diverberat ictibus auras.
Tum mixti cum plebe duces longo ordine ſacra
Deducunt lætum Divis Pæana canentes.
Agmen Ariſtander candenti indutus amictu
Claudit, & intexto verrit veſtigia limbo,
Cinctaque Phœbæa fulgent cava tempora lauru.
Utque locum advenere tenaci in gramine ſedeis
Accipiunt, multiſque onerant altaria votis.
Hæc inter tonſas media inter cornua ſetas

Avel-

Avellit vates, & pinguia colla bipenni
Diſſecat, exanguis tremuit collapſus humi bos
Hinc alij excoriant pecudeis, pars vellera tendunt
Gramine litoreo, ſubjectis ignibus alter
Pinguia fruſta locat, verubus pars altera carneis
Penſilibuſque rotis volvunt, it fumus in auras
Turbidus; aſt alij ducis in tentoria pictos
Diſponuntque thoros, properantque ex ordine menſas
Diſcubuere omnes, primumque Macedonius Rex
Occupat Œbalio fulgentem murice ſedem,
Dextrum Ephæſtion, latus accipit inde ſiniſtrum
Parmenio, bello prior hic, linguaque, manuque,
Moribus at primus melior, fiduſque periclis,
Aſſiduuſque comes, primis quos junxit ab annis
Fœdus amicitiæ ſanctum. Pyladem nec Oreſti,
Pyrithoo tantum nec amatum Theſea vates
Commemorent Graji. Vos ſiqua indebita noſtris
Fama fuat Muſis, nec ſera inviderit ætas
Invictos animi juveneis ſciet æmula noſtro
Carmine poſteritas, fideique exempla prioris
Agnoſcet, veſtrumque feret ſuper æthera nomen.
Poſtquam victa fames dapibus centum aurea menſis
Vaſa locant, magni queis fortia geſta Philippi
Artificis pulchris cælarat dextra figuris.
Hic bellis furit in mediis, atque alta ſuperbus
Mœnia Cecropidum quatit ariete, fervidus illic
Threicios campos, Phryxæaque mœnia longa

Obſidione premit, ſubmerſoque hoſte triumphos
Navali celebrat præcinctus tempora myrto.
Certatim effundunt laticeis, Bachoque coronant.
Pars unguenta comis, calathis pars florida ſerta
Expromunt; reboat ſtrepitus, & ſidera pulſat.
Tum mediis reſonat cythara formoſus Amyntas
Adſtanteſque omnes vocem preſſere faventes.
Namque canebat uti magno compreſſa Tonante
Eximium populis eduxit Olympia regem.
Ut quum bis ſenos ageret pulcherrimus annos
In ſedem imperij delectum oracula Phœbi
Monſtrarint, utque ipſe animis, ac viribus aptus
Bucephalum inſtabilem, cunctiſque immane minantem
Scanderit, & flexis primus regnarit habenis,
Fregerit ut Thracas bello, forteiſque Triballos
Utque Iſtrum, magnaſque urbeis, campoſque ſecantem
Vorticibus rapidis, pandentemque oſtia ſeptem
Tranarit noctu, Cadmique everterit arceis,
Atque Aſiæ fatis conceſſus vincula ferro
Gordia præſciderit, regemque, atque arma fugarit
Perſarum caſtris, ſpolijſque potitus opimis.
Sic canit, abſceſſere duces, jamque ardua metam
Contigerat mediam tacitis Latonia bigis.
Sed vix Phœbus equos nigra prope nocte peracta
Ad juga flammigeros pernicibus imperat Horis
Cogere, & aſſueto terras circumdare curſu
Quum procul in medio fluctus caneſcere ponto

Adſpiciunt, mox vera fides, centumque per undas
Adventare rateis. Extemplo ab litore claſſem,
Claſſem amens clamat Giarus, primuſque ſub ora
Decurrit regis, numerumque ex ordine pandit.
Inſiluere omnes rapidoque ad litora curſu
Certatim adproperant, radit cava puppis arenas,
Et gemit innumero tumidus ſub verbere pontus.
Nunc mihi Pierios ſaltus, nunc Phocidos antra
Cantanti reſerate Deæ, quotque humida ſulcant
Arva rates, tantæque duceis, & munera claſſis
Pandite, nec ſiquidem vos non meminiſſe putandum eſt.
Porcius æquoreas primus ſecat abjete lymphas
Quem juvenum non parva manus comitatur in armis,
Qui ſaltus Galatina tuos, atque arva feracis
Intrepidi liquere Sinæ, qui horrentia Chius
Saxa tenent, quos Igna jugis; quos Curia lucis
Aut cæco miſit gaudens Chryſonera receſſu,
Et fulvo pariter dives Chryſonera metallo.
Quos ingrata jubet Danaum parere ſub armis
Druſia, quique altas rupeis nemora ardua curſant
In campis, Paletuſa, tuis, ubi jugera raſtris
Mille agitant tauri, quos Marmica triſtis ab altis
Collibus emiſit; ſaltuſque virentis Achliæ.
Hunc gravis inſequitur Bezus, cui robore lectos
Syſipus immittit juveneis, quos Caria nutrit,
Turritoque ferox numerat quos culmine Sarnus.
Qui Potami loca grata colunt, quos frigida mittit

Fi

Filia, qui Catæ ſacrum nemus, altaque viſunt
Aeriis caſtella jugis, ubi vertice totas
Deſuper adſpectant ignita Ceraunia terras.
Corinios quicumque lacus, tua jugera quiſquis
Ara colit, cinctamque virentibus Audona ſilvis.
At Soloes reſupinus ager, Curiique nitentis
Frondoſum nemus, atque inſignis mœnia Leucæ
Mille armant bello juveneis, queis ardua fulgent
Scuta humeris, nudoque micat dextra aſpera ferro.
His centum adjungit moderatus in æquore naveis
Priſcorum regum clara de ſtirpe Cleander.
His quoque ter denas jungit Nicoſia puppeis
Prole virum, & crudo fortis Nicoſia bello,
Hos ſequitur quicumque Arſum, ingentiſque Tamaſſi
Rura domat Cereri, & magno felicia Baccho,
Palladios quiſquis lucos vivacis olivæ
Dives arat Cirinna tuos, Nemeſimque, Cyſumque,
Carpaſios quicumque agros, buxoque nitenteis
Vomere proſcindit colleis, quos inclyta miſit
Famaauguſta viros, ſcopuloſa ubi litora circum
Piſcator pelago prædas furatur opimas.
Quos Amathus fæcunda viris, fæcunda metallis.
Crudelem pariter quiſquis Salamina reliquit,
Quam Veneri Cypriis Teucer fundavit in oris
Namque olim Euboico fugiens ab litore patrem
Occiſo quod fratre redux non ſumere pænas
Non Ithaci fraudeis ulciſci fortiter auſus,

Fatidici in Cyprum duxere oracula Phœbi
Ut victos regeret populos, Salaminaque latis
Erigeret campis patriæ de nomine dictam.
Tum Arſinoes qui rura terunt, quique aurea luſtrant
Templa Paphos, ſacris ubi circum altare Sabæis
Fumant thura rogis Veneris monumenta nefandæ
Pigmalionæo facilis quum Diva rogatu
Victa, rigeſcentem vitali veſcier aura
Conceſſit molem, & blandos ſortiri Hymenæos.
Hos ipſe æquoreæ dominator fervidus oræ
Pythagoras ducit, cunctas Prætoria puppeis
Excellit, prora fictos cui robore vultus
It Syren, blandoque regit freta cærula cantu.
Pube tenus virgo, deformis cætera piſtrix
Illa feros mentita artus caput exerit altum,
Glaucaque lacteolas diverberat unda papillas.

PONTIANI TUGNONII
ALEXANDRIADOS

LIBER QUARTUS

ARGUMENTUM.

NAvale prælium ſemel atque iterum committitur atque æquis fere viribus utrinque pugnatum. Mars Alexandro apparet novamque & veluti ex continenti oppugnandæ urbis methodum docet ad idque nocte concubia exequendum hortatur. Neptunus, Junoque perdendæ claſſis conſilium ineunt. Hæc Eolum, ventorum regem adit, ingentemque excitat tempeſtatem, qua ſumma rerum pericitatur. Jupiter Alexandri precibus motus, Mercurio ad Eolum miſſo, ſerenitatem reſtituit. Tyrij uxores, liberoſque Carthaginem mittunt. Belus quum in ſomnis Alexandrinam molem in ſaltum mutatam, & Apollinem ab urbe fugientem vidiſſet, concionem vocat; quam tandem Ninus in bellum accendit. Apollinis ſtatuam aræ Herculis vin-

culis

culis nectunt. Monſtrum in mari viſum, quod utriuſque gentis ſpem, atque animos dubio curſu erigit. Tyrij abſente Alexandro onerarias nonnullas invadunt, capiuntque. Conſeritur deinde navale certamen, quod nox dirimit. In urbe ſacerdos incerta voce in ſomnis admonitus Saturno humanam victimam immolare tentat; verum a majoribus prohibetur. Alexander claſſe mœnia cingit, ſimulque e mole, ac turribus urbem quatit, quo in prælio Belo primum, dein Nino interfecto, ea potitur.

ET jam ſol trepidas pellebat tertius umbras
Quum gemina Æmathius lunatam in cornua ductor
Partitur claſſem, proprio tenet agmine dextrum
Atque jubet lævum Cyprio parere Tyranno.
Parmenio, Crateruſque altis e turribus inſtant.
At Tyrij tantæ pavidi formidine claſſis,
Non ſe ſe pugnis audent. non credere ponto.
Extrema trepidi dumtaxat litoris ora
Ter denas raroque oneratas milite, Grajis
Opponunt puppeis. Rapido volat impete claſſis.
„ Non ſecus ac ſilvis, & amato gramine taurus
„ Exul in externos ſaltus, peregrinaque rura
„ Et ſpumas vomit & ſumma connixus opum vi

Aera

„ Aeraque, & virgulta furens, aut robora cornu
„ Inceſſit, tandem ut cervix rurſumque recepti
„ In pugnas placuere armi, priſca arva repoſcit,
„ Rivalemque omni pellens regione ſuperbum
„ Victor ovat, ſociaque audet mugire juvenca
Sic vacuas furit in puppeis, mergitque, trahitque
Æmathius miles, fumantem aut lampada coſtis
Incutit, occulitur peſtis, ſenſimque peredit
Stuppa trabeis, lentum volvens ad ſidera fumum.
Vertitur interea cœlum, juſtoſque reviſit
Æthiopas Phœbus, plena in præſepia ducunt
Quadrijugos Horæ, invitantque ad pabula feſſos,
Spiranteiſque ignem & calido ſudore madenteis.
Vix roſeis Aurora genis effulſerat ortu,
Suadebatque rotas Phœbi, alipedeſque jugaleis
Sidereas remeare vias, quum ad mœnia claſſem
Ire jubet, crudaque urbem redimire corona.
Haud mora feſtinant celeres, urbique propinquant.
Tum facibus muro, vaſtiſque molaribus inſtant
Tormento donec tandem quaſſata potenti
Saxa labant: aditus Danaos invitat apertus.
Deſuper at Pœni telis, rapidiſque minantur
Miſſilibus, ſternuntque viros, facibuſque carinas
Sulphureis certatim arcent: pudor excitat iras.
Acrius hoc autem Macedum terraque, marique
Agmina ſæva premunt. Alij nam turribus altis
Bella cient, undis alij crebro ariete muros.

Undique concutiunt: furit omni ex parte mali vis.
Aſt olli raptim ſaxis vaſtiſque parabant
Obſtruere arboribus murum, aut reparare labantem,
Atque hinc, atque illinc ſubitas attollere moleis
Interius jam num certant fors ſiqua prioreis
Succubuiſſe velit, crebro aut cecidiſſe ſub ictu.
Interea magni proles generoſa Tonantis
Multa animo volvens varii diſcrimina belli
Conſtitit ad litus quum jam vaga lumina Phœbe
Spargeret, & dubia ſub luce quieſceret orbis.
Hinc mugire polum & ſubito trepidare tumultu
Stellatas arceis, ſenſitque tremiſcere terras
Confeſtim ad ſuperos oculoſque manuſque tetendit
Multa rogans tacitus pavido languore morantur
Membra virum, creberque flagellat pectora pulſus.
Tum medio in nimbo viſus percellere ſævos
Mars truculentus equos, adamantinus ignea circum
Corda micat. Lunæ percuſſus lumine thorax.
Haſta manus onerat crudas, quæ fraxinus olim
Preſſerat ingenti Rhodopeia culmina mole,
Et læva clypeus flammas vomit aureus atras.
Sæva regit Bellona rotas, teretique flagello
Terga premit bipedum in curſus immitis equorum.
Tunc ſic adfatur, bellique accendit amorem,
Quæ te, gnate Deo, Sarranæ induſtria gentis
Lentum habet, ardentiſve moratur cura pericli?
Eja, age, torpenteis animos, ſomnoque ſepultos

Ad-

Adgredere, & totis admiſce incendia muris.
Qui tamen id fiat, paucis, adverte, docebo.
Principio geminas puppeis ſalis arva quaterno
Verbere quæ feriant, conjunctis ferrea roſtris
Vincula conſtringant, ne quis maris impetus illas
Solvat diverſaſve illidat ſyrtibus ambas.
Se ſe inter diſtent puppes, ſpatiumque locorum
Aſſeribus validis, trabibuſque adnecte columnis
Pontis ut in morem ſurſum tormenta, viroſque
Suſtineant, firmave tegant ſub mole maniplos
Qualis ad Eridani fluctus, aut per vada Rheni
Claſſe ſuper tremulis tabulata inſternere limphis
Romulidum gens ſæva ſolet, cum forte furenteis
Theutonas, aut ſubito flavos premit agmine Gallos.
Ergo age dum curas vincit ſopor, altaque cœlum
Contingit medium tacitis Latonia bigis
Cinge rate oras, & muros cito milite comple.
Dixit & impacto liquidum ſuper aera loro
Flectit equos, cœloque volans ſe immittit aperto.
Aſt Heros ſubito perculſus pectora motu
Ingeminatque Deo grates, & caſtra repoſcit.
Tunc ducibus viſum exponit, divinaque juſſa,
Auxiliumque Dei, nec fit mora, protinus omnes
Incumbunt operi, fervent maria alta carinis.
Nox erat & tacitus volvebat ſidera vertex (numque
Quum mare, quum nemora alta ſilent, pecudumque, homi-
Rore Deus multo feſſos madefecerat artus

Quum volucres, rabidæque feræ ſub luce quierant
Ambigua & ſummi Pœnorum in turribus ignes
In cinereis ierant, totam quum ab litore claſſem
Solvere, & in Tyrios mandat convertere muros.
At non hi Superum reginam, aut gurgitis alti
Rectorem latuere doli, nec enim excidit imo
Corde furor, Jovis in charo ſtat pignore, fratrem
Inviſum, coram quando via nulla nocendi,
Exercere dolo, ac cæco inſectarier aſtu.
Æquoreas rapido ille undas miſcere tridenti,
Illa velit ventis diſperſam mergere claſſem.
Ergo ſublimem convertit in æthera currum
Id meditans, Danaumque animo indignata triumphos.
Eſt mundo in medio locus, alto a culmine cœli
Terraique procul centro, quo Jupiter olim
Horriſonos flatus, tempeſtateſque ſonoras
Carceribus validis, tetriſque incluſerat antris
Omneis ferrati poſtes, & vincla coercent.
Immaniſque procul fragor exauditur, iniqua
Clauſtra reluctantum, & vaſta ſub mole frementum
Non tamen eſt unus locus omnibus, aureus unde
Flammigeros Sol jungit equos, ſe ſe explicat Eurus
Parte volant Zepyhri occidua, qua plauſtra Bootes
Lentus agit, Boreas flat turbidus, & quatit orbem.
Oppoſito Boreæ inſurgit, reboatque tremendum
Africus axe poli, quo non violentior alter,
Et miſcere fretum, & brevibus conlidere claſſeis.

Iuno loci numenque petit, ſupplexque profatur:
Nimborum Rex magne, graveis conſtringere ventos
Cui ſuperum omnipotens genitor conceſſit, & omneis
Imperio mollire minas, aut turbine cœco
Indociles laxare, undaſque invertere flatu.
Ecce Macedoniæ, mihi gens inviſa, cohortes
Europamque, Aſiamque armis totumque perrerant
Orbem, ductor enim regno haud contentus avito
Pellæus juvenis Perſarum inceſſere fineis
Ardet, & ignotos mundi penetrare receſſus,
Uſque coloratos donec delatus ad Indos
Naturæ metam Oceanum, nullique ſubactum
Adſpiciat, Tyrio nunc aptat in æquore claſſem
Martis ope, invictæque minatur fervidus urbi.
Ergo pelle moras, nimboſque incumbere ponto
Dic age. Pellæas hominum Regina, Deumque
Adſpiciam ſtrageis, & contemplabor inulta?
Ætoloſne olim campos, Acheloiaque rura
Fulmineis vaſtare feris ſoror aſpera Phœbi
Ob furias Oenei potuit, mihi nulla poteſtas?
Scilicet id mi fata vetant? tunc plura paranti
Succedit verbiſque frementem adfatur amicis
Æolus: o Regina tuis me impendere juſſis
Regnaque, opeiſque decet, nec jam tua numina temnet
Æmathius prædo, aut ſubmerſas æquore toto
Vindice me adſpiciet puppeis. Sic fatus iniqui
In Boreæ, ſedemque Noti contendit, ubi altè

Cir-

Circum tecta, foreiſque horrendo murmure circum
Intrepidi ſeſe adglomerant, furiuntque, fremuntque.
Aſt ubi ferratos poſteis ſceptro impulit, olli
Effundunt ſeſe portis, properantque, ruuntque,
Viribus & vires jungunt, ac prælia miſcent
Queis turres tremuere, atque alta cacumina cœli.
Hos fremitu horriſono Zephyruſq., Euruſq. ſequuntur.
Tum pelago incumbunt omnes, monteiſque ſub auras
Undarum extollunt, ſpumaſque ad ſidera jactant.
Sævit acerba ſonans pontus, jamque aurea fulgens
Condit, Luna caput, totó cava nubila cœlo
Ingeminant miſeris noctem, tremit omne boatu
Cœlicolum templum, tonitruque & fulmine terret.
Hinc ſtridere rateis, magnoque fragore rudenteis
Abſcindi, trepidare viros, ruere æthera credas
Immenſum, & ſubita terras ſub mole gravari.
Tantus in aſtra virum fremitus conſurgit, arenis
Subſidunt alij; rapido ſed turbine plures
Verſantur, clamor longè exauditur iniquo
Luctantum pelago, aut triſti ſub morte gementum.
Infremuit Danaum Princeps, totoſque per artus
Sudor iit gelidus, cœli fulgentia templa
Tum fatur ſpectans: totne jam occumbere bellis
Non potui, o Genitor? quod ſi mihi fata parabant
Dira necem, cur non forti prærupta lacerto
Fortia corda olim pulchris cecidere ſub armis?
Mene tuis quondam, Arſacidum fortiſſime ductor

Oxyatres, inviſam animam hanc effundere telis
Haud potuiſſe, tot in campis ubi funera victor
Edidi, & ingenteis animas ſub Tartara miſi!
Haud mors illa fuit geſtorum indigna meorum.
Dixerat & ſubitò conjunctas pontibus alnos
Unda quatit, tabulata ruunt, ruit impete toto
In præceps laterum laxa compage carina.
Et ducis ante oculos miſeri ſuper æquora nautæ
Auxiliumque orant, tabuliſque adnantibus hærent.
At Genitor nati ſortem miſeratus acerbam
Exauditque preceis, cœlique a parte ſiniſtra
Intonuit, tum nubem auro, flammiſque coruſcam
Terque, quaterque quatit. Stupuit perterritus heros
Agnovitque omen Genitoris, & æthera cernens
Adfatur: mihi dexter ades, tuaque omnia firma,
Summe Parens, urbe in capta tibi templa, tibi aras
Atque triumphato ſtatuemus de hoſte trophæa.
Sic ait, at Genitor Nimpha ſibi Atlantide cretum
Adſeſe vocat, ut paribus coram adſtitit alis:
Gnate inquit, mea magna fides, cui ignota parentis
Noſſe datum ſoli, ventorum ad regna citatos
Eja age nunc molire gradus, nec parva petit res.
Antiquis namque acta odijs Saturnia Juno
Hippotadem ad regem, noſtro qui flamina juſſu
Carceribus frænat, ſera ſub nocte profecta
Multa querens Macedum, regis furibunda potentis
Imploravit opem, noſtri neque conſcius ille

Horrenteis nimbos, tempeſtateiſque ſub auras
Emiſit, quibus, en, Tyrias Argiva per undas
Hinc atque hinc vento claſſis jactata pererrat.
Ergo æſtus cohibere paret, flatuſque furenteis
In cœlum revocet, clauſtrumque, & vincla minetur:
Id mihi pergratum; quod ſi mea numina contra
Inſiſtat cœptis, tanto (nigra Tartara teſtor
Et Diis horrendos laticeis, Stygiamque paludem)
Dejiciam ſceptro immeritum, mittamque ſub umbras
Haud mora cæruleos linquens perlabitur orbeis,
Et liquidum pictis diverberat aera pennis.
Aurea ſub niveis fulgent talaria plantis
Virga manu, capiti Arcadius de more galerus
Per vacuum rutilat gemmiſque ornatus, & auro.
Tunc aula ſtetit in media, & mandata faceſſit.
Extemplo erranteis per cærula regna cohorteis
Ad ſeſe vocat Hyppotades, clauſtriſque recondit.
Vix ea quum nautis vires rediere, animique.
Jamque caput cœlo extulerat, lucemque benignam
Puniceis Aurora rotis, quum ad litora fractas
Applicuere rateis, viridique in gramine curas
Lenibant Cereris morſu, dulcique Lyæo.
Tum ſocios mæſti multos, multaſque requirunt
Quæ brevibus naves periere, aut ſæva pererrant
Æquora diſperſæ, nec plura querentibus alto
Bis ſeptem pelago apparent, notiſque propinquant
Litoribus puppes, tutoque abduntur in alveo.

In-

Interea Pœni magnæ ad Carthaginis arceis
Quam fratrem inviſum fugiens & litus avarum
Struxerat erepti Dido poſt fata Sichæi
Ardenti in Lybia, chariſſima pignora, natos
Fœmineumque genus mittunt, flet quiſque propinquos
Et fremitu ſimul urbs omnis, ſimul ægra moratur
Matrum turba, gemunt cautes, totaſque per oras
Reſponſant ventos optantum vota ſecundos
Supremuntque vale.
Hinc nova tela furor, potiorque omni arte magiſtra
Invenit rabies, uncos ſœvaſque bipenneis
Aſſeribus religant validis, tunc impete toto
In mare præcipitant, ſubeunteiſque ardua puppeis
Moenia ſubvertunt, lacerato aut milite turbant.
Aſt alij clypeos, loricaſque ære rigenteis
Et torrere parant flammis, coenoque recocto
Volvere in hoſtileis turmas, nautaſque, rateiſque
Aut alto ex muro pluvia candentis arenæ
Nudos membra viros diris exponere telis.
Vulcani inventum rabidi quum bella Gigantes
In Iovis imperium, Superumque palatia Divum
Concirent, queis acti animas vomuere ſuperbas
Enceladuſque minax, reſonanſque immane Typhoeus.
Nec poenis credas alijs ſcelus omne piare
Igni devotas animas quum Tartara ſubter
Aut Phlegetontæos laticeis, aut ſtagna flagrantis
Cocyti ſubeunt, fumanteiſque igne caminos.

Et

Et jam nox circum terras effunditur omneis,
Ac Belum magnas agitantem pectore curas
Mulcet læthæa medicati aſpergine rami
Fronde papaverea redimitus tempora Somnus,
Et levis arcano ſerpens per viſcera lapſu
Inſinuat ſeſe, veniſque adlabitur imis.
Tunc ſubito ex adytis per nubila viſus Apollo
Infelicem urbem pernici linquere curſu,
Inque Macedonias greſſum properare phalangeis.
Hinc molem immenſam Danaum conſurgere in auras
Arboribus multis, multa & veſtirier herba,
Inque nemus denſum concreſcere. Luſtra ferarum
Cernit ubi haud pridem findebant cærula piſces.
Obſtupuit, dulciſque reliquit lumina ſomnus,
Nec ſatis ipſe ſibi credit quid fata Deorum,
Quid viſa adportent. Tandem ut lux alma ſoporem
Diſcuſſitque umbras, jubet in ſua tecta vocari
Phœnicum proceres, plenis fluit undique circum
Turba vijs. Solio tunc ipſe effultus eburno,
Et portenta Deum pandit ſimul, & ſimul omneis
Conſilium rogat; at vario tunc murmure certant,
Confliguntque duces ſtudia in contraria ſecti.
Hi Martem indomitum, belli cladeiſque peroſi
Otia pacis amant, atque urbem dedere regi;
Aſt alij bellum inclamant, quos inter acerbus,
Bellum, Ninus ait, cives, expoſcite bellum.
Quid pacem optemus? pacem victricibus armis

Atque animis ſibi quiſque paret. Num ſubdere ſævo
Colla jugo, externoque (nefas) ſervire Tyranno
Quæramus Tyrij, quorum ſuper æthera nomen
Quot bellis totidem vulgavit fama triumphis?
Quæ noſtri pars orbe vacat? Lybiamque, duaſque
Cepimus Heſperias; Aſia dominamur avita:
Punica tela timet ſeptemgemina oſtia quiſquis
Purpurei Gangis, quiſquis cœlum uſque columnas
Herculeas miratur Iber, Phæbique receſſus,
Æthiopum qua Solis agros rota fervida torret.
Et ſeptemgemino torpent fulgore Triones.
Ergo parate animis bellum, ſi dura ferat ſors,
Pro dulci patria pulchris moriemur in armis.
Nec tamen hac vacua fallamur imagine ſomni:
Confingit ſibi dura timor. Nos ſervat Apollo.
Hæc fatus juvenis vireis, animoſque protervo
Reſtituit populo. Hinc templum longo ordine cives
Læti adeunt, Divumque onerant altaria votis.
Urbe fuit media lucus denſiſſimus umbra
Illicibuſque niger multis, ubi Iupiter olim.
Ut fama eſt, vultum magno ſuccenſus amore
Prolis Agenoreæ mutavit, & addita front
Cornua contorſit primum, charamque puellam
Litus in Heſperium niveos ſuper extulit artus.
Hic olli templum excelſum, diveſque priores
Sacravere Patres, magniſque auxere trophæis.
Ingentes fulgent ærato cardine poſtes,

Aura-

Auratæque trabes. Patrem Tirinthius heros
Magnorumque ingens comitatur turba Deorum.
Hos inter Phœbus ſtabat circumdatus auro
Tempora, tum lævo pendens humero aureus arcus,
Aurea ſtat chelis in læva, cui ductilis auri
Fila ſonant, dextræ dum pectine percutit aureo,
Quam Tyrios olim fertur victricibus armis,
Diripuiſſe Syracoſij de culmine templi.
Hanc nunc tergeminis circum adſtinxere catenis,
Herculeæque aræ religarunt vincula magnum
Detentura Deum. Tum læto mœnia plauſu
Summa petunt. Et jam verſo temone jugaleis
In mare Phæbus agit, quum litore fervida pubes
Stat vigilans, crebrique micant e turribus ignes.
Nec minus Æmathius diverſis miles in oris
Arma parat, jamque ex alto Tithonia conjux
Fulſerat, albentique diem patefecerat ore.
Ecce autem mediis ingens caput extulit undis,(ſquammis
Monſtrum horrendum, informe, ferox, cui plurima
Terga rigent, multoque minatur in æthera cornu.
Hinc Macedum ingenti viridantia tergora moli
Applicuit, bifidaque ſecans freta turbida cauda
Horrendum explicuit ſeſe, jacuitque per æquor
Immenſum. Obſtupuere omnes, fixique manebant (das
Monſtrum adſpectantes. Mergens tunc membra ſub un-
In Tyrios rapido curſus ruit impete muros,
Nunc dorſum exertans rigidum, nunc corpora condens

Sub pelagus, fugere Deæ, fugere relicto
Æquorei paſtore greges: at litore toto
Proſpectant hilares Graji, ſeque omine tanto
Urbem ingreſſuros, muri quà parte labantis
Accubuit, taciti lætantur, & æquore in alto
Decurſu monſtraſſe viam, canis, optime Grajum
Augur Ariſtander, Divumque oracula pandis.
Nec ſecus, & Tyriis in turribus æthera voces
Plaudentum reſonant tanto ſe Numine diram
Merſuros pelago Neptuno vindice claſſem.
Nec mora regificis celebrant convivia menſis
Lætitia, plauſuque omnes ſimul undique circum
Tecta, viaſque fremunt, ferit aurea ſidera clamor.
Tunc avidi veteris pretioſo munere Bachi
Seſe onerant, tremulique rateis, atque arma repoſcunt.
Effundunt ſeſe portis, & litora complent,
Inque fretum textis redimitas frondibus alnos
Impellunt, molemque petunt, ac Dorica caſtra.
Forte alias claſſem Grajorum ductor ad oras
Verterat, & raræ ſtabant ad litora puppes.
Has pœni ſubito adgreſſi clamore furenti
Ex numero binas capiunt rerum omnium inaneis.
At reliquas longe telis, facibuſque fatigant.
Clamor Alexandri vix bellicus impulit aureis
Illicet abrepta ſtabat quæ forte carina
Caſtra petit, rapido navis volat ocyor Euro
Remorumque altas quino quatit ordine limphas.

Tunc

Tunc vero ab geminis Phœnicum hinc inde phaſellis
Pulſa tremit, rurſum at validis agitata lacertis
In lævum fertur, ferratique impete roſtri
Perforat, & curſum ferro retinente coercet.
Alter ſed pictus dederat cui nomina Tygris,
In latus invehitur dextrum, quum Dorica puppis
Oppoſuit ſeſe pelago, multoque ruentem
Robore percuſſit, quatitur, Tyriuſque magiſter
Præcipitat, pronoque undam ſub vertice torquet.
Iamque ignes, jam tela volant, ſtant obvia roſtris
Roſtra, pares animi, ſigniſque minantia ſigna
In medio ambiguis volitat victoria pennis.
„ Non ſecus Oceano in magno, ſi quando revulſis
„ Hinc atque hinc clauſtris Zephyrique Eurique furentes
„ Multa vi ſeſe effundunt, ac prælia miſcent
„ Aurea turgenteis volvunt ad ſydera fluctus
„ Æquora, & hinc illinc colliſa admurmurat unda.
At Tyrij arripuere fugam, portuſque petebant.
Inſequitur Macedum nimbus, Cypriæque cohortes
Cæruleoſque ſecant fluctus, & pectora pulſant
Adnixi, lateri adſultans tum lympha remugit.
Aufugiunt celeres Pœni; jamjamque tenebant
Æmathij litus proceres quum deſuper omni
Telorum genere urgentur, ſonat ærea circum
„ Scuta, fragor, mixto ceu quondam grandine nimbus
„ Frondeiſque, ac tabulata ſuper, ſuper ardua Divum
„ Tecta fremit. Jamque inſtanteis cava buccina nautas

Evo-

Evocat, ac ſenſim fulvis nox labitur alis.
At Danaum ductor dum tertia ſurgeret undis
Aurora, & vitreum bis Sol ambiret Olympum.
Militibus gratam indicit per membra quietem,
Atque animum in poſtrema jubet firmare pericla.
Hæc inter Pœni ſubitis clamoribus omneis
Circumeunt trepidi muros, nam nocte ſilenti
Dum nemus ingreditur ſacratum forte Sacerdos,
Et pecudum cæſarum in vellere ſomnos,
Talis ab obſcuro Divum vox reddita luco eſt:
Has meritas Tyrij Saturno vindice poenas.
Heu culpæ immemores, luitis, qui ſacra parentum
Antiqua, atque Dei ſolitos neglextis honoreis.
Mos patribus fuerat, famæ ſi credere dignum eſt,
Mens trepidat licet, ac fari indignata recuſat,
Ingenuo pueri Saturnia templa cruore
Imbuere. Hoc uno placari munere Divum,
Una ferebatur gratis ea victima ſacris.
Hæc tunc ipſe animo reputans præcepta ſacerdos,
Vix dum ſumma comas Aurora erexerat undis,
Egreditur luco, ac Divum reſponſa per urbem
Attonitus, trepidanſque canit. Stetit anxia multo
Turba metu, prolique timens, cui ſacra parentur,
Quem fata expoſcant, quæritque, urgetque rogando.
Interea trepidas Patrum vox perculit aureis,
Accurrunt properi, & jam jam ferale parantem
Carmen, & infauſtum puerum de more legentem

Ab-

Abripiunt, coguntque feris abſiſtere coeptis'.
Ille autem geminas tollens ad ſidera palmas:
Vos ego, perpetuo labentia ſidera curſu,
Teque parens rerum Titan, quem nil latet uſquam.
Terrarum, & ſacro reſonantes murmure luci,
Quos adij, nemorumque agreſtia numina, vos, ô
Teſtor, ait, Tyriam vulgavi ſacra per urbem,
Obſiſtunt, placidaſque virum furor obſtruit aureis.
Vix ea quum rauco litui clangore vocantis
Arripiunt turbati arma, & ſimul agmine facto
Mœnia ſumma petunt, aut ordine litora complent.
Namque Macedonias adſpectant undique pontum
Circumiiſſe rateis, jamque ardua machina muros
Arjetat, ingentes volvuntur in æquora rupes.
Hic Poenus dum immane parat torquere lacerto
Elmentor ſaxum, rupta compage fatiſcens
Defecit paries, traxitque in mole ruinam'.
Haud mora deſiliunt ratibus, ruptiſque fruuntur
Moenibus Argivi, primuſque in litore ſigna
Parmenio locat, ac Tyrias ſuper explicat arceis.
At parte ex alia Craterus nec dum agmina muris
Appulerat, telis Poeni, multoque fatigant
Igne viros, Grajum ante oculos ruit æquor in imum
Unco inverſa ratis, puppi dux primus ab alta
Volvitur Amphilocus, fluctuque oppreſſus iniquo eſt.
Infremuit Macedum ſpectans ab litore ductor,
Et furijs actus turrim conſcendit in altam,

Ad-

Adſtantemque urbem ſupra, muroque propinquam.
Extemplo auratis ut fulgere viſus in armis
Multorum adpetitur jaculis, nam dona Senatus
Miſſa olim induerat, chlamydem, multoque trilicem
Loricam ex auro, & galeam multo igne coruſcam,
Fulgentiſque orbem clypei, quem ferrea circum
Tela ſonant, quantus rutilo ſplendeſcit Orion
Corpore, Biſtoniove ruens Mars ferreus Hæmo.
Tu Dea nunc quos ille viros ſub Tartara ferro
Quoſque ſub æquoreas haſta demiſerit undas
Commemora. Ut Danaum Tyriam vox fertur in urbem
Adventaſſe ducem, pavidiſque inſtare maniplis
Diriguere metu, trepidos timor alligat artus;
Mox ubi placato redierunt pectore vires,
Eja, age, quis animos Belus, quis lentus inerteis
Torpor agit? nunc tela viri, nunc ſumite ferrum,
Pugnantes moriamur, ait, primuſque ſuperbi
Exſuperat muri rapido faſtigia curſu.
Senſit Alexander, ſeque alto in culmine firmans
Exſpectat venientem, ac dictis urget amaris:
Bele viden, nihil ut toti circumflua muro
Æquora tutentur Tyrios, terraque, marique
Grajorum premeris turmis, nec plura loquentem
Suſtinuit Belus, fatoque agitatus iniquo
Conjicit immani contortum turbine ferrum
Nequicquam tamen æthereas diverberat auras.
At Danaum magnis in telum viribus Heros

Ni-

Nititur, & mea num certos ferat haſta doloreis
Experieris, ait. Secat aera Dorica cornus,
Hepar, & in medium hoſtilem bibit acta cruorem.
Sternitur ille tremens, Pœnaſque ſuperjacet arceis:
Spirantemque manu moſtrans, pars maxima belli
Clamat Alexander, ſocii, Belus ruit ingens.
Hinc Garzum, Giareumque manu, Cranumque trucidat
Fervidus, ac toto permiſcet funera muro.
Jamque omneis aditus Danai, turreiſque tenebant,
Et Cyprio æquoreas cum milite ſepſerat oras
Pythagoras quum templa Deum, atque altaria circum
Adglomerant ſeſe Tyrij pars altera puppeis
Sidonias penetrat, latebriſque potitur amicis.
Aſt alijs contra venienti occurrere turmæ
Certum eſt, ac mortem pro libertate paciſci.
Jamque propinquabat muro, atque optata ſubibat
Litora Pellæus juvenis, quum Ninus apertis
Erumpit trepido circumdatus agmine portis.
Confeſtim rauco ſignum dat buccina cantu.
Concurrunt Phænisſa manus, pubeſque Pelaſga,
Et fremitu cœlum, & curſu tremit excita tellus.
Hypponax primus Phœnicum ex agmine telum
Contorquet ſtridens, vacuas tamen haſta per auras
Incaſſum volat, at furijs agitata juventus
Emicat Argiva, inſurgunt, primuſque Machaon
Hypponacta petit, gelidumque extendit in herba.
At Mentor telum intorquens Pileona ſuperbum

In-

Inſequitur, delapſa manu ſubit inguina cuſpis.
Non olli Genitor Peneus, Nimphæque ſorores
Profuerunt miſero; rabie tamen actus acerba
Mentora per medias turbas ſequiturque, petitque;
Deficit ait curſu in medio, triſtiſque cadentem
Parca premit vultu ſervantem iraſque, minaſque
Victor ovat Tyrius Mentor, ſpolijque potitus
Per campum ingreditur; ſed mortem fata parabant,
Namque Macedonia ex turba forte obvius olli
Conſtitit Artophagus, laterique minatur, & alte
Tranſadigit ferro coſtas, tum ſanguine multo
Tingit humum, plagaque animam profundit hianti.
Hæc cernens fratris ſortem indignatus iniquam
Irruit Hyppomedon, Grajor umque agmina turbat,
Adraſtumque premit, premit Hectoris ora loquentis.
Purpureo infelix mixtos cum ſanguine denteis,
Atque animam cum voce vomit, ſed Clytus acerbum
Hyppomedonta vocans, gladio latus haurit apertum,
Sub pedibuſque tenet luctantem, ac viſcera tetro
Ore eructantem, donec ſub Tartara triſti
Effudit cum fletu animam, lucemque reliquit.
Tum Pilium, Clauſumque, Pholum, fortemque Lacæum
Cuſpide transfigit, ſtomachum delata ſub altum
Haſta ſubit, triſtique fatigat viſcera riſu.
Lymnoſium Phylotas juvenemque, et dira furentem
Haud tulit, & caput enſe metit, ruit ille ſupinus,
Sidonios largoque humectat flumine campos.

At Gazus Craterum cernens crudele minantem
Extimuit, glebamque olli conjecit in ora,
Fædavitque comas, frontemque, oculoſque ſuperbos
Jamque excæcabat; frendens tamen ille nigrantem
Tellurem excuſſit, ſaxumque immane ſub auras
Emiſit facile, quod dextra avellere multi
Haud poſſent juvenes, Tyriumque ſuperjacit hoſtem,
Contrivitque artus, nuſquamque in corpore toto
Corpus erat, mæſta horrendi ſpectacula Martis.
Talia per campos edebant funera Graij;
At parte ex alia Ninus Cratemque, Phorumque,
Hunc gladio, aſt illum dimiſſa conficit haſta,
Et Sibarim, & Chromin genus alto a ſanguine Achilli
Nec minus Argivum ductor, procereſque Pelaſgi
Gramine diſcurſant toto, properantque, ruuntque.
Ille recenſentem magnorum geſta parentum
Occupat Eurodum, teloque affigit acuto
Tellurem contra immobilem, mox ſurgit in enſem,
Fulmineumque rotans ictu in duo corpora Bezum
Findit Amentoridem Nini fratrem, undique Ninum
Veſtigatque oculis, laceratque, feritque, necatque.
Rareſcunt Pœni, & latos quacumque per agros
Ferre gradum libet, attoniti dant terga manipli.
Parmenio, Crateruſque inſtant, fortiſque Cleander,
Perdiccaſque furens, Clytuſque, atque aſper Amyntas.
Obvius hic tandem lato adſtitit æquore Ninus,
Et mihi ductor, ait, ductor mihi veſter in armis

Oc-

Occurrat, nec enim noſtro niſi funere primum
Pandat iter, Tyrios dabitur conſcendere muros
Sic ait & Procerum primores tendere contra
Indomitum ardebant juvenem, ſed enim acrior omneis
Dux præit, & curſu adverſum contendit in hoſtem.
„ Convenere loco geminæ, ceu fronde comanti
„Spartani Eurotæ ripas prope, ſive Erymantho
„ Conſurgunt quercus cœlo capita alta ferentes,
„ Quas ſpolijs Phœbi ſoror aſpera, ſæpe ferarum
„ Conveſtit, totoque dedit ſpectarier agro.
Hinc atque hinc ceſſère acies ſpectantque paventes.
Tum lata Ninus fulgentem cuſpide cedrum
Turbidus intorquet, tranans tamen illa per auras
Nequicquam cecidit, flavamque momordit arenam.
Hinc aliam infrendens, aliamque ſub æthera jactat
Jamdudum fato infelix devotus iniquo.
Iupiter ipſe manu, ſive Ægide tela nigranti
Namque abigit pater, aut juvenis perſtringit acerba
Luce oculos, trepidum vel imagine fallit inani.
Dux ſed enim virtute pari Pellæus, & aſtu
Se tenet, extremaſque ictum conſervat in iras.
„Non ſecus ac Nomadum campis leo forte corona
„ Obſeſſus juvenum, terram fricat arduus ungue,
„ Atque jubam quatit effuſam, atque adverberat armos,
„ Tum frendens ruit obſtantum per tela, per enſeis.
Tandem ſquammiferum qua ſubter amœna renidet
Purpura thoracem, ſortitus corpore vulnus,

Fer-

Fervidus emicuit juvenis Pellæus, & altum
Inſurgens, toto connixus robore telum
Conjicit, haſta volans rapido ſecat aera lapſu,
Tranſadigitque alte corpus, tamen ille labanteis
Subſtinet ægreſcens artus, trepidanſque tenet ſe.
„ Ut quondam irriguis Cybeleia pinus in hortis
„ Florentum juvenum denſa percuſſa bipenni
„ Uſque labat, nutatque diu, ramoſque comanteis
„ Subſtinuiſſe cadens tentat, frondiſque decorem.
At Princeps tetro jam vulnere ſingultantem
Conficit, in terram pronus tum corpore toto
Vertitur ille tremens, largoque cruore rubentem
Mandit humum, triſtemque animam ſub Tartara fundit.
Hactenus Æmathios vatem memoraſſe triumphos
Sit ſatis, arboream recubat dum lentus ad umbram,
Qua per Mexiceos reſonans perlabitur agros
Anthius, ac placidis fœcundat jugera lymphis,
Et Guadalupæi ſurgunt felicia templi
Culmina, pinnatoque minantur in æthera clivo.
Fors olim tua, Diva parens, graviore cothurno
Signa canam, laudeiſque tuas procul ultima Thule
Audiet, ac poſitis numen venerabitur aris.

NOTÆ AD LIB. I.

Dives opum v. 16. Vide quæ de ejus urbis amplitudine, ac divitiis dicuntur Iſaię 23. & Ezechielis 25.

Ab antiquo v. 28. Alius enim ſuperioribus temporibus vixerat Belus Tyriorum Rex, Didonis pater, de quo Æneid. 3. *Genitor tum Belus &c.*

Fulvo v. 86. Qui hanc loquutionem emendare tentavit non legerat apud Maronem: *maculis inſignis, & albo.* Georg. 3.

Tum Eois v. 90. Fuit qui *quum tum* male elidi putavit; nos Maronem ſequimnr apud quem:

Fluctus ut in medio cœpit quum albeſcere ponto.

Viſus adeſſe ſenex v. 132. Res nota ex Joſepho, & alijs Hiſtoricis. Vide diſſertatiunculam ad calcem hujus operis.

Ignarus Araxes v. 166. Quia ante Alexandrum nullum ſubierat pontem; poſt Alexandrum vero *pontem indignatus* dicitur quod ab eo injectum excuſſerit Æn. 8.

Hæc poſtquam v. 198. Adumbratum ad exemplar Legati Romani apud Liv. lib. 21.

Diademate v. 212. Vox Auguſtæo ſæculo ignota, qua tamen uſus Juvenalis.

Labarum 265. Græca vox, ſed a Latinis jam inde a Plutarchi tempore uſitata.

Primus agit turmas v. 386. Recenſio exercitus, atque ejus generis argumentum, in quo Poetæ omnes luxuriantur, Homer, in 2. Virgo, in 7. Lucan. 1. & 3. Statius, 4. & 7. Flaccus, in 2. Silius, 3. & 8. Sannazarius, in 2. Vida, Taſſus. Homeri Geographiam ſequimur Jliados 1. unde plures verſus pene ad verbum deſumpti ſecundum latinam verſiouem Fran. Xav. Alegrij S. I.

Mu-

Murique ſilentes v. 465. Hiſtoriam hanc urbi cognomini Auruncorum tribuit Virgilius in 10; ſed urbi Laconiæ alii, nam ejus, quæ in Italia fuit, cives a muribus, ac ſerpentibus deletos fuiſſe ſcribit Plin lib. 3. c. 5.

Titareſus v. 513. Hujus fluvij ſimili laude meminerunt. Luc. 1. 6. & Plin. 12. c. 52. Uterque ab Homero in 2.

LIB. II.

NOn illud 2. 37. Imitatio Ajacis Homerici, unde ortus Turnus Virgilianus in 11. Quæ in hunc locum neſcio quis adnotavit, alibi diluentur. Interea Homeri, & Virgilii exemplo contentus ſit.

Libani v. 41. Sunt qui Libani prope Tyrum mentionem in Curtio reprehendant. Antilibanum vellent. Sunt qui Antilibani prope Arabiam mentionem damnent. Certè quum Libanum ab Antilibano vallis ſolum interjecta diſtinguat, ut eſt apud Ciceronem, quin uterque ad Phæniciam quodammodo ſpectet, dubitandum non eſt, & quidquid ſit de Curtio, exactam utriuſque iugi diviſionem vix adhuc cognitam, non eſt cur in Poeta quiſquam requirat.

Olympia v. 204 Olympias Alexandri mater dicebatur. Immutatum nonnihil nomen carmini incommodum.

Protinus immutat vultum v. 234. Hujuſmodi transformationum exempla innumera ſunt apud Homerum, Virgilium, Silium, Valerium, & alios. Has autem ideo comminiſcuntur Poetæ, vel ut verſimilitudini conſulant, vel ut Deorum ſupra humana omnia providentiam adſtruant, vel ut in Parentum, Curatorum, Nutricum, ac Majorum quorumcumque perſona Deum ſibi loquentem juvenes audire, ac revereri debere doceant. Neque

enim

enim declamationibus, quod ille, ſed ipſa rerum geſtarum expoſitione, & Heroum exemplo mores hominum fingere, & philoſophari Poetam decet.

Tubarumque v. 375. Carmen hypercatalecton, cujus plurima apud Virg. exempla.

Gramine Phlægræo v. 598. ubi *Ter ſuntconati imponere Pelio Oſſam*. Ita enim legendum, non *impenore Pelion, Oſſæ* ut ſciolus, neſcio quis, voluit, qui dum nos emendare cogitat, Virgilium emendavit, apud quem extat in 1. Georgic.

Phyliſtini v. 467. Antiquiſſimi terræ Chanaan incolæ, a quibus ipſa Palæſtina, ipſi Palæſtini, aut Phyliſtini, aut Phyliſtiim ex libris Judicum, Regumque notiſſimi. Occaſione autem aliquorum de quibus in Scripturis mentio fit, Gigantæa eos mole fuiſſe fingitur, quales etiam ſibi videre viſi ſunt Jſraelitarum Exploratores, & quales Solymos deſcripſit Homerus Il. 6.

Saxum erat v. 527. Verſum hunc, & qui ſequuntur reliquos aſteriſco notatos pro ſua ſingulari humanitate atque in me benevolentia hic inſeri voluit V. Cl. Alexius Orrius S. I. quo præceptore, ac duce literis humanioribus navabam operam, quum hæc puerilia luſi.

LIB. III.

O quem te memorem v. 94. Adumbratum ad exemplar Virg. in 1. Æn. ſicut Æneas Ulyſſem imitatur Odyſ. 6.

Ter. credas v. 88. Hæc hyperbole qua templi Hieroſolymitani amplitudo deſcribitur ab Conſtantio, ni fallor, Pulcharello deſumpta eſt in Parnaſſo PP. S. I.

Particulam v. 199. Horatiana loquutio, quam quidem licet

licet in Platonicorum, & Manichæorum ſenſu graviter reprehendat Auguſtinus; poetice tamen in ſano, ac religioſo ſenſu accipi poſſe nemo non fatebitur.

Te te v. 231. Nam de Alexandro intelligenda eſſe patet quum ex communi Interpretum conſenſu, tum ex ejuſdem Danielis cap. 8.

Mille tuas v. 264. Id autem & promiſiſſe Alexandrum, ex promiſsis ſtetiſſe Joſephus author eſt, ex quo Auguſtinus lib. 18. de Civ. Dei, cujus verba dabimus alibi.

At juvenis v. 300. Adumbratus hic tractus ad triumphi Romani exemplar, unde ſignatè *redimitus tempora lauro ... abruptos muros ... oſtroque decorus ... Quadrijugos currus, Dona* populorum. &c. vide Cerdam ad fin. 81. Æneid.

Manare cruorem v. 317. Portentum hoc, ſicut & reliqua quæ hic narrantur, invenientur apud Curtium loco in præfatione hujus operis citato.

Fruſta v. 341. Carmen Acatalecton, cujus plurima in Virgilio exempla. At enim, ait, neſcio quis, in iis quos Virgilius emendavit, libris, ut in ſecundo, & quarto Æneidos, nulla ſunt hujuſmodi hemiſtichia. Hominis frontem! Immo vero in nullo Æneidos libro plura eſſe quam in ſecundo hemiſtichia, ſi Virgilium legeret inveniret.

Famauguſta v. 493. Urbs eſt nunc totius Cypri celeberrima in litore Auſtrali inſulæ propius ad promontorium Orientale. Hoc certe nomen Alexandri tempore ſortita non erat forte, nec urbs extabat, ſicut vel Nicoſia, vel aliæ ex prædictis; ſed Poetæ in his temporum ratio non adeo religioſe obſervanda, ut Virgilii pluribus exemplis liquet.

Urbe fuit media v. 302. Locum ubi Jupiter in taurum mutatus Europam rapuit, in templum conſecratum fuiſſe comminiſcitur Poetam. Somnium autem, & Tyriorum geſtum habes apud Curtium, niſi quod hic author cuidam de plebe ſomnium obtigiſſe ſcribit, ait enim *quanquam author levis erat:* Poeta autem Belo tribuit majoris dignitatis, ac momenti gratia.

Nam nocte ſilenti v. 398. Hæc veriſimilitudinis gratia conficta ſunt. Nec enim credibile videretur Tyrios humanam victimam Saturno immolare voluiſſe niſi ipſius Dei juſſu adactos, atque compulſos, ut in re ſimili Homeri, & Virgilij exemplo liquet. Porro id ſacrificii, vel, ut recte Curtius, ſacrilegii genus apud Ammonitas, & vicinos Syriæ populos in uſu fuiſſe divina Scriptura teſtatur. Qui autem Curtio Saturnus, idem eſſe videtur, qui Tyriis, Syriiſque Molochus, in cujus honorem ea ſacrificia inſtituta libri ſacri commemorant. Eam profecto conſuetudinem Carthaginenſes ab Tyriis conditoribus accepiſſe, non Diodorus modo, Curtius, & Juſtinus, ſed etiam Auguſtinus, Tertullianuſque teſtatur, qui etiam addit, nedum ad ſuæ urbis excidium; ſed etiam uſque ad Tiberij conſulatum id apud Carthaginienſes in more poſitum.

Orion v. 452. Vide Virg. interpretes ad Aen. 10. ubi eodem ſimili Mezentij proceritatem commendat ſummus Poeta.

Imagine fallit inani v. 570. Ut ea quam Diomedi furenti obtulit Apollo, & Hectori Jupiter apud Homerum, unde illa prodiit, quam Turno Juno objecit Aen. 10.

Anthius v. 597. Quaſi floridus propter mox dicenda.

Et Guadalupæi v. 598. Quo loci Ssma Dei genitrix in templo colitur auguſtiſsimo, ipſius imagine erumpentibus in hieme roſis, aliiſque floribus, quos Epiſcopo Indus quidam in teſtimonium deferret, coram ipſo Epiſcopo cælitus depicta in rudi pallio prid. Id Decemb. ann. Domini M. D. XXXII.

XA-

XAVERIUS ANTONIO S. P. D.

QUam ad te mittimus, Alexandrias, juvenis vix undevigeſsimum, aut vigeſsimum annum agentis opus eſt, quod unum Ariſtarchi cujuslibet cenſuris diluendis ſatis ſuperque eſſe deberet. Et quidem illud Alexandri Herois fatum fuiſſe videtur, ut non niſi Chærilos rerum ſuarum præcones nanciſceretur eo etiam tempore quo præſtantiſsimis ingenijs, & poetica laude clariſsimis Græcia florebat. Inter reliqua, maximaque ejus facinora, illud ſibi canendum propoſuit, quod quamvis præcipuum reapſe non ſit, incredibilem tamen, atque, ut ita dicam, pene divinam animi magnitudinem præſefert, ſimulque ob plura, quæ illud mira, atque præclara circumſtant, poetico artificio aptiſsimum eſſe videbatur. Tyrus profecto urbs quondam opulentiſsima, ac celeberrima, cujus negotiatores Principes, cujus inſtitores inclyti terræ, ut eſt apud Iſaiam inſula olim, nunc Phœniciæ continenti adjuncta, æternum erit atque invictum ſæculis omnibus virtutis Alexandri, ac magnanimitatis monumentum. Atque ejus quidem expugnationis nuda ipſa, atque hiſtorica Diodori, Arriani, Curtijque narratio adeo pulchris ornata eſt rerum eventibus, ut vix quidquam Poetæ præter veriſimilitudinis curam relictum eſſe videatur, in quo optima ſibi exemplaria Opuſculi author imitanda propoſuit.

Præter magnitudinem autem, atque actionis fœcunditatem, eam quoque unam, ac ſimplicem, brevemque eſſe debere, haud incongruè Horatius alijque inter poetica præcepta tradiderunt ſapientes viri. Rei porro ſimplicitas cum in reliquis ingenij artificioſis compoſitionibus magno in pre-

tio habetur, tum maximo in Epico carmine, quamvis alioqui ea præditum illud rerum varietate eſſe oporteat, quæ licet in unum, ac precipuum finem ſemper intenta, narrationem tamen exornet, inſtructionibuſque cum politicis tum moralibus inſerendis locum faciat. Recenſiones equidem exercitus, claſſiſque in primo, ac tertio libro, iterque Alexandri Hyeroſolimas ſummorum Poetarum imitationes ſunt, ut ſuis in locis admonuimus, nec diſsimulaverim in primi libri recenſione authorem veluti juvenili calore arreptum pluſculum aliquanto verſificandi facilitati indulſiſſe, eamque longiorem eſſe, quam exigui Poematis natura patiatur, at enim narratio Ulifsis apud Alcinoum, aut Aenæ apud Didonem quo ſint opportuniores non video, quam Jaddi Hebræorum Pontificis in tertio hoc libro, de qua tamen nonnulli reſtant ſcrupuli mox evellendi.

Quod ad brevitatem ſeu præfixum Epicæ actioni tempus attinet, ab rei natura, verique omni ſimilitudine alienum videtur, vel eventus omnes, rerumque ambages, ac viciſsitudines, quæ magna plerumque comitantur facinora, unius diei, aut brevis cujuſcumque temporis ſpatio poſſe contingere; aut contra plurium annorum eventus, ſeriemque rerum longo tempore ſeſe volventium, in unum, ac ſimplicem finem humana poſſe prudentia pertrahi. Scimus enim Cabrerij vix unius diei termino, & quod majus eſt Miltoni celeberrimi hac noſtra tempeſtate Anglorum Poetæ actionem momento abſolvi, ac circumſcribi; nec nos tamen latet, quas in anguſtias, ac difficultates nimium properatus ille rerum exitus utrumque authorem conjecerit. Homerus certè, Virgilius, Camoenſius, Torquatus, Ercilius, ac Volterius, quos ea in re præſtantiſsimos habemus authores, lentiori, ac longe magis ad veriſimilitudinem compoſito motu progreſsi ſunt. Odyſſeas enim tres fere menſes, Jlias dies quinquaginta, Virgilius reliquis omnibus prolixior in annum ſolidum actionem protraxit. Tyrij obſidio, expugnatio-

tioque quatuor ut ex Curtio liquet menſibus perficitur veluti medio quodam inter ardorem, rapiditatem, quibus Græcus Vates.

Semper ad eventum feſtinat, lentumque, ac moroſum Virgilij gradum, ex quo nonnulli plus juſto in itinere quieviſse, atque exitus oblitus fuiſſe videtur.

In Herois autem perſonam, ac dignitatem duo forſam objici poterunt. Primum, illud Alexandrum plus aliquanto mitem ac pium exhiberi, quam ipſius ætas, ambitio, atque fortuna exigere videbatur. Quæ quidem objectio nec futilis omnino, nec elumbis eſt. Enimvero Herois virgiliani pietas authorem fortaſse decepit, atque in ſui imitationem rapuit. Fatendum tamen eſt nihil hic Macedonum Regi datum, quod non in eo Curtius, alijque Scriptores laudaverint, ex quibus omnibus conſtat, Alexandrum, antequam Babylone potiretur, modeſtum, ac pium, atque in ſeniores, atque amicos morigemum plus multo fuiſſe, donec nativam indolem ad virtutem omnem compoſitam, Aſiæ luxus, deliciæque rerum geſtarum claritas, divitiarum copia, &, quod peſsimum longe eſt, Aulicorum adulatio corrupit. Quæ omnia, aliaque quæ in idem argumentum congeri poſſent, plurima, ſi quid ea in re peccatum eſt, apud æquum lectorem minuent; nec tamen omni ex parte Scriptores abſolvere tentaverim. Ut enim ea vera ſint, quæ vera eſſe haud inficiamur; Poeta autem, cui non tam veritas, quam rerum veriſimilitudo cordi eſſe debet ijs Heroes ſuos coloribus, ijſque moribus, ac conditionibus effingere tenetur, quibus apud omne genus hominum notiores illi ſunt. Equidem ſi ſapientum majori parti, aut omnibus ignotus Heros in Theatrum efferatur, ea ipſi indoles, ijque mores attribui poſſent, qui Poetæ libuiſſent; qui vero Neronem in carmen adduceret, ipſumque pium, beneficum, liberalem, atque officioſum exhiberet, peccaret ille quidem graviſsimè. Quamvis enim is Nero fuiſſet, aut is ſaltem primis imperij

ſui

annis videri civibus voluiſſet; Poetæ vero ii fuerant Neronis confingendi, atque exhibendi mores, quibus monſtrum illud, atque humanæ naturæ opprobrium diſcerni, atque internoſci apud homines ſolet.

Non nemini quoque ab rei veritate longe aliena videbuntur demiſsio illa atque abjectio quam tertio, Jaddum Alexander alloquitur, idque non ob ſuperbiam Macedonici regis dumtaxat; verum etiam ob comune gentium omnium, præcipuè autem Græcorum odium in Hæbræos, quorum averſabantur, & deſpectui habebant religionem, & mores. Atque ea quidem erat ſecunda objectio, quæ vero non adeo ac præcedens urgere videtur, nec tanti a nobis facienda eſt. Ut enim rem altius repetamus iter Alexandri Hyeroſolimas non Poetæ inventum; ſed verus eſt rei eventus, cui omnes Alexandri Hiſtoriographi fidem faciunt ſignate autem id quod hic reprehenditur; quod ſi alibi, quam apud Judaicas Joſephi antiquitates ſcriptum inveniretur, tamquam authoris ſuſpecti, nimiumque ſuæ nationi indulgentis, aut res proprias extollentis commentum abjici poſſet. Extat item apud eoſdem Scriptores apparitio illa ſummi Sacerdotis dormienti regi, de qua in primo libro. His igitur ſtantibus, & falſa etiam Paganorum opinione ab omni veriſimilitudine non abhorret, Alexandrum, qui Hæbræorum Pontificem aut Deum, aut Deorum interpretem e cœlo delapſum arbitraretur, tanta eum fuiſſe reverentia, ac veneratione proſequutum. Regis ſiquidem ſuperbia, elalioque, ut nuper dictum, non adeo excreverat, ac poſtea, cum, ut verbis Machabæornm loquar, ſiluit in conſpectu ejus orbis terrarum. Quod vero additur de abominatione, atque odio, quo Pagani Judeorum ritus, ac ſacra inſectabantur, ab rei veritate procul abeſt. Conſtat enim ex Machabæorum libris Judaicam, atque Spartanam reſpublicas mutuis legationibus fœdera ſanxiſſe fraternaque charitate amicitiam foviſſe, quod idem poſtea cum Romanis fecerunt. At enim ſi

poſt Veſpaſiani Titique victorias in Gentium omnium, & maxime Romanorum deſpectum, ac deteſtationem lapſi ſunt Hæbræi ut ex Suetonij, Taciti, Quintiliani, Juvenalis, Martialis, aliorumque ævi ejuſdem authorum teſtimonijs convincitur; abjectio illorum æque ac ſuæ urbis excidium, ac diſperſio altiori ex cauſa repetenda eſt, referendaque in pœnam illatæ mortis JESU CHRISTO Dei filio, ut omnes illorum prophetæ prædixerant. Verum ad alia progrediamur.

Nodum efficiunt Alexandriados Junonis ac Neptuni in Alexandrum odia. Ira Junonis profecto non hic ad meram Homeri, aut Virgilij imitationem inducta. Enimvero ſi earum vocum, Numinumque naturalis quædam vis, ac ſignificatio accipiatur, Aeris nimirum, & Maris certo certius eſt ab re alia nulla majus, quam ab his duobus detrimentum, ac difficultatem in Tyrij expunatione Alexandro imminere. Id in cauſa fuit ut Homerus omnium Uliſſis laborum authorem comminiſceretur Neptunum. Ecquis enim navigaturo hoſtis potentior ipſomet mari, atque metuendus magis? Id quoque Virgilium impulit ut Jononem Aeneæ inimicam affingeret. At ſi mythologiam inſpiciamus, non major, aut potior cauſa erit cur Junonem Aenæ, aut Neptunum Uliſsi adverſarium arbitremur, quam Junonem eamdem atque Neptunum Alexandro. Enim vero, Jovis conjux non aperto Aeneam odio proſequitur, niſi ex cauſa Trojanis omnibus communi ſpretæ nimirum Paridis juditio formæ ſuæ. At hæc eadem erat injuria illata Palladi, quæ tamen nihil adverſum Trojanos in tota molitur Aeneide. Aliam item cauſam adnectit Virgilius, futurum ſcilicet incrementum, & gloria Carthaginis ex ruina Herois illius, unde Romanorum Reſpublica, atque imperium erat naſciturum. Hoc vero quum contra temporum rationem inventum fuiſſe a pluri-mis eſt jam demonſtratum, tum etiam longiſſime petitum, cum Romanæ Reipublicæ Origo vix Aeneæ tribui poſsit, quippe qui trecentos totos, aut amplius annos Romæ molitionem

nem, atque exordium præceſserit. Ut ut autem illud fuerit, quid in cauſa fuit, cur tam impenſe Carthagini Tyriorum coloniæ faveret Juno? An nimirum quod eadem ex gente Jupiter Europam adamaverat, atque rapuerat in ſummum Junonis ipſius opprobrium, ac ſempiternum deducus? Quanto autem potiori jure Alexandrum Juno conatur opprimere? Jovis enim ſe filium ille jactabat, taliſque Ammonis oraculo fuerat renuntiatus, nec Olympiadem ipſius matrem tanti pudebat adulterij. Quam hoc gravius ut utrumque caput Juno Jovis conjux deteſtaretur, ac telis omnibus peteret? Nec minor erat cauſa Neptuno. Tyrus enim urbs maritima, mariſque comercio opulentiſſima ſub illius Dei protectione, ac tutela quieſcebat, eamque aliunde continenti velle connectere injuria erat haud ferenda Neptuno, cujus ditionem, ac territorium, ut ita dicam invadere, præſcriptoſque ab natura ipſa maris fluctibus terminos tranſgredi, atque interturbare tentabat, ut ipſe in 2. conqueritur.

Vis, ac potentia Jovis nodum ſolvit. Et ille quidem quamvis ab ipſo rerum exordio filium tot calamitatibus, ac laboribus incolumen præſtare potuiſſet, Conjugiſque in eum, ac fratris furorem compeſcere; fortitudinem tamen, atque conſtantiam ipſius tot malis exercet, ut glorioſius inde ad ſui ipſius, Bachique, atque Herculis exemplum, ut eſt in 2. ad poſteros nomen derivaret. Omnia ipſi favente Numine proſpere, atque ex animi ſententia accidunt, cujus illi auxilium ad manum; Non ita tamen ut laborem omnino, pugnamque auferat; ſed ut ei in his quæ ſupra humanas vires eſſe videntur, oportunè opituletur. Alexander tamen ſingulari in certamine Ninum interficit, qui coacto tumultuario exercitu urbis ingreſſu regem prohibebat. Exitus hic illi ſimillimus eſt, quo Homerus Jliadem, Virgilius Æneidem abſolvit, neque a vero abhorret, cum ea ſingularia certamina etiam Alexandri tempore in uſu fuiſſe ex ipſius cum Poro rege congreſſu ſat liqueat. Ninus porro Hectoris hic, ac Turni perſo-

ſonam ſubſtinet, ejuſque in cæde ea vitare conatus eſt Poeta quæ in Homero & Virgilio haud obſcuri nominis viri reprehendetur. Nihil enim hic quod lectoris animum pro Nino in Alexandrum præveniat, immo Heroi favent omnia. At in Jliade, atque Aeneide neſcio qua latenti, ac veluti nativa animi affectione ferimur in Hectorem, ac Turnum, ut ipſorum potius, quam Achillis, atque Æneæ partibus favere videamur. Sed de his latè forſitan agemus alibi, neque hìc immorari amplius oportet, ne videamur puerile hoc, atque umbratile Poemation cum primis, atque optimis, artis exemplaris velle componere.

Sunt & aliæ Poematis Epici partes non neceſſariæ illæ quidem, quæ tamen magnum fabulæ ornamentum, atque ſplendorem conferunt, ut quam Latini, Agnitionem vocant, cujus eſt exemplum pulcherrimum apud Maronem in primo Æneidos ubi Venus Aneæ venatricis cultu, atque habitu ſeſe obtulit conſpiciendam, nec a filio agnoſcitur, niſi cum ejus conſpectui ſubtrahitur. Nec multo poſt Æneas matris ejuſdem beneficio coopertus nebula, Carthaginis templum ingreditur, neque ab ullo cernitur, donec coram Didone, atque adſtantibus Troibus Tyrijſque repente, ſcindit ſe nubes, & in æthera purgat apertum, quorum utrumque ex diverſis Odyſseæ, atque Jliadis locis contextum eſt. Et quidem Alexandri admiratio cum Jaddum a ſe olim viſum commemorat, tandemque agnoſcit ad primi imitationem quamdam adumbratum eſse ſuo loco adnotatum reliquimus. Quod autem nos rerum converſionem dicere poſsumus, quamvis non adeo in Epico carmine, quam in Tragico deſideretur, adhibitum tamen partem haud modicam, atque ut ita dicam ſummam veluti, atque arctiſſimam nodi totius difficultatem continet. Is eſt enim vero rerum ſtatus in Alexandriade ad finem Libri tertij. Abſente ſiquidem rege Tyrij per incendiariam navim molem everterat cujus ruinam ſecutus eſt languor totius, ac

deſ-

deſperatio exercitus, tum ſimultates, ac diſcordia ducum. Nec tamen animum deſpondet Heros, quin ab ipſis potius laboribus novos videtur ſpiritus, atque ardorem ſumere. Jaddi fretus promiſſis, oblataque ſibi per ſomnium Herculis ſpecie ſuorum ſpem, atque animos erigens, novam molem aggreditur. Interea claſsis e Peloponneſo, Cyproque advenit. Fluunt ſecunda omnia, nec haud multo poſt Belo, Ninoque occiſis, urbem victor ingreditur.

Et quoniam in Alexandri ſomnium ſermo incidit, haud abs re erit, quæ hic olim vir nobis amiciſsimus reprehendit, obiter diluere. Ajebat enim ille poſt Jaddi narrationem, verique, atque Omnipotentis unius Dei opera Alexandro propoſita, quæque ille adeo ingenti reverentia, ac veneratione audiiſſet, nullum relinqui locum Herculis auxilio, ac falſorum Numinum Religioni, aut ſaltem non hæc duo ita ſibi ſuccedere, atque adeo & loco & tempore conjuncta eſſe debuiſſe. Quæ enim ſocietas luci ad tenebras, aut quæ conventio Dei ad Belial? Quid ergo Alexandrum ne Hæbraicis myſteriis rite initiatum fuiſſe, atque in Proſelytorum, ita enim dicebantur, numerum, ac partes tranſiiſſe velit vir clariſſimus? Veritus ille quidem eſt Jaddi Pontificis dignitatem, Judaicamque Religionem, veluti ſanctum quiddam, atque e cœlo delapſum agnovit. Quid inde? an propterea omnem de divinis rebus errorem, ac ſuperſtitiones animo exuit? *Hoſtias ſanè Alexander in Dei templo immolavit*, inquit Auguſtinus de Civitate Dei lib. 18. cap. 45. *non ad ejus cultum vera pietate converſus, ſed cum Diis eum falſis vana impietate colendum putans*. Quid ergo mirum, ſi Herculis poſt modum ſibi apparentis auxilio innititur? Adde quod Poeta ſicut Hiſtoricus Curtius, unde rem hauſit, non Herculem ipſi apparuiſſe, ſed in ſomniis id Alexandro viſum diſertis verbis expreſsit. Quid quod ut ex eodem Curtio ſatis aparte colligitur ne id quidem per ſomnium vidit Alexander, ſed ſe vidiſſe commentus eſt, ut languentes ac deſperantes ſuorum animos eo omine, atque ſpe cœleſtis auxilii recrearet?

ret? Quid ſuper his in veri Dei cultum irriverentius dictum, quid contra veriſimilitudinis rationem, ac legem peccatum ſit, equidem non video. Jam vero illud quod nonnullius lectoris religioſiſsimi animum pupugit, Chriſtianum ſcilicet Poetam Paganorum Deorum auxilium, & Numina adhibere nullatenus debuiſſe, aut prophanas Muſas invocare, id enimvero eximiæ potius pietati, quam recto de rebus poeticis judio tribuendum ducimus. Quod ſi ut Sannazarius divino Virginis puerperio Protheum, ſi ut Camoenſius in Herois Chriſtiani ſubſidium Venerem, Bachumque, aut Neptunum adhiberet Poeta, reprehenderet ille quidem merito, veluti ſi aut ægrotantem Ignatium Mercurius inviſeret, aut apud Araucanos pugnantem capillitio abreptum Pallas quemquam in Hiſpaniam perduceret. Nunc vero cum Pagano Heroi Paganos Deos ab eo cultos in medium produxerit, nihil eſſe videtur cur caperata fronte, cenſorioque ſupercilio increpet.

In narratione porro fabulæ, atque ſtylo carminis (ſi parva licet componere magnis) nobiliſsimum par Poetarum Homerum, & Virgilium imitari conatus eſt Alexandriados Author. Nec diffitemur hac imitatione, quod & alijs pluribus accidiſse compertum eſt, in nonnulla vitia, ac defectus inductum. Plenus enim eſt locutionibus fragmentiſque Virgilianis. Maronis carmina nonnumquam integra ut illud *Terraſque* &c. non raro parum immutata præter fabulæ ipſius contextum cujus pręcipuæ partes ab ipſo Æneidos fonte emanarunt. Fatemur inquam nimiam quamdam, ac verbo dicam, puerilem Virgilio adhæſionem toto in opuſculo relucere. Quis tamen hæc eadem in omnibus illis non videat, qui aliqua cum laude poſt decimum tertium ſæculum ſcripſere. Equidem Franciſci Petrarchæ Africa, Pontani Hortus Heſperidum, Darchij Canes Venatorij, Fracaſtorij Siphylis, vide Pœma de morte Chriſti, Jacobi Sannazarij Virginis Puerperium, Rapini Horti, aliorumque ſcriptorum opera plurima Virgilium uſquequaque redolent. Quid? Virgilius ipſe totus quotus

eſt,

eſt, nonne, ut Lilius Giraldus inquit, optimorum imitatione evaſit? Quot in ejus operibus locutiones, figuræ, deſcriptiones, hemiſtychia ac verſus etiam haud ſemel integri, aut levi mutatione detorti Ennij, Pacuvii, Lucretij, atque antiquorum aliorum Poetarum ut ipſemet Virgilij non interpres magis, quam adorator Cerda, fatetur? Verum ut illa taceamus, præter amores Didonis (quos tamen ex Apollonio Argonautarum ſcriptore deſumpſiſſe dudum obſervarunt viri eruditi) præter inquam Didonis amores in 4. Camillam in 11. exiguaſque alias hujuſmodi particulas, non totius Æneidos contextus ab Homeri partim Odyſſea, partim Jliade deſumptus eſt? Nonne Eglogas totas ab Theocrito, & in Georgicis pleraque ab Heſiodo mutuatus eſt? Eſtne locus poeticus quiſquam, eſtve comparatio, quæ non ex græcis fontibus manaverit? Difficilene erit in Virgilij operibus bis mille atque amplius verſus digito monſtrare ad literam ex Homero, prædictiſque alijs authoribus translatos? Equidem nonnullis in locis ut inventis addere facilimum eſt novum rebus ſplendorem, ac pulchritudinem contulit, in multis Homerum æquavit, in pluribus Græci Scriptoris majeſtatem, ac ſublimitatem aſſequi non potuit, quin tamen ideo ingenti nominis claritate, & gloria apud omnes ubique gentes careat, cum certum atque indubitatum ſit, ut lepidiſſime Volterius Virgilium ſi Homeri opus eſt, opus ejus eſse abſolutiſsimum, ac pulcherrimum.

At in Alexandriade uniformis eſt, atque a principio Tyriæ obſidionis ad finem deducta narratio, eumque in modum contexta, quo apud Hiſtoricos, & maxime apud Curtium invenitur, quod quidem in illud peccat Horatij præceptum ubi de Epico Poeta *ſemper* (inquit) *ad eventum feſtinat, & in medias res*

Non ſecus ac notas auditorem rapit.

Homerus certè

Non reditum Diomedis ab interitu Meleagri
Nec gemino bellum Trojanum orditur ab ovo.

Ea

Eaque in re maximè Lucanus reprhendi ſolet, qui Pharſalicum, aut civile bellum ab Rubiconis trajectu exorſus immo ab ipſis Pompeij ac Cæſaris antiquis diſsenſionibus, ac ſimultatibus, hiſtorico magis, quam Poetico more eventus omnes uſque ad poſtremum ad Mundam prælium conſectatur.

Atque ea quidem haud ſpernenda objectio eſt, quæ tamen Horatiani præcepti explicatione evaneſcet. Equidem erit nemo, qui Sarnazario Poetæ Epici nomen inficietur, quod Poema de partu Virginis ab ipſa Angeli annunciatione exordiatur. Sed quid Sannazarium? Maximum, ac perfectiſsimum Epicæ poeſeos exemplar, Homeri, inquam Jlias, nonne ſervato rerum ordine Achillis furorem, atque indignationem quæque inde conſequuntur omnia ab ipſo fonte atque origine ad exitum uſque perducit? In Odyſſea certe narrationem mediis ab rebus accipit, quod exemplum ſequuti ſunt Virgilius, Silius, Torquatus, Camoentius, Vida, Donatus, & Latinorum plerique. At illi omnes eadem, atque Homerus cauſa id facere compulſi ſunt. Si enim ab exitu Uliſsis, atque Æneæ ex Trojano litore Homero, & Virgilius narrationem fuiſsent exorſi, plures illis, quam Epopejæ natura patitur anni elaberentur, quod vitarunt inde exordientes, unde lector propinquum jamjam, ac veluti imminentem exitum cernens, deluderetur interim aliis ad rem ſpectantibus, non tamen neceſsarijs artificioſe inſertis Ubi autem metuendum non eſt ne multiplicatis rerum, ambagibus aut faſtidium patiatur auditori, aut actionis ſimplicitati, ac brevitati derogetur quicquam Homerus ipſe longe diverſa via, ac ratione procedit. Nec Lucani infelici urgemur exemplo. Non enim ille eo ſolo nomine reprehenditur, quod rerum ſeriem non interrupto ordine deſcripſerit, ſed quod nullam fere aliam Epopejæ legem ſervaverit. Neque enim ibi Heros quiſquam eſt, nec ſimplex actio, nec magna, nec honeſta, neque nodus, neque ſolutio,

neque

neque fabula, neque aliud quicquam præter meram, nudam que bellorum civilium expoſitionem parum ab ea diverſam quam ſoluta oratione Cæſar ipſe conſcripſit, ſi ſtoicas quaſdam, ac faſtidio plenas declamationes excipias, ventoſaſque ac turgentes ſententias. Ejuſdem ſunt generis Papinij, Statij, Achilleis, Arati, Juvenci, ac Nonni Evangelia, Hectoris Capicij Vates maximus, atque illę quæ apud recentiores in more fuerunt vitæ Sanctorum ligata oratione conſcriptæ. Atque Horatianum quidem præceptum ex Homero deſumptum, ita ut expoſuimus intelligendum eſſe liquet exemplo Homeri ipſius, a quo ceu fonte perenni

Vatum Pierijs ora rigantur aquis,

Enim vero in pura ſimplicique rerum præteritarum narratione lectoris attentionem defatigari, ac langueſcere neceſſe eſt, cum remotum longe exitum conſpicit, ut in Odyſſea contingeret, quæ propterea ſenectutis naturam atque indolem præſeferre non incongruè dicitur longis, ac mirabilibus referta narrationibus, quas ideo mira arte vates tamquam alienas, atque a præcipua narratione avulſas huc illuc interſerit. Atque hæc de Alexandriade adnotaſſe ſufficiat, non ut puerilia hæc, & ludrica ab omni nævo vindicare conaremur, nedum cum antiquorum ex Gręcis, aut Latinis quolibet componere velimus de quibus omnibus, Homero pręcipue, & Virgilio (quod olim ad columnas Herculis navigaturis (pulchrè, ac ſapienter ab Hieronymo Vida lepidiſſimo Vate ſcriptum (eſſe cognovimus.

Sperare nefas ſit vatibus ultra.

FINIS.

Ad admodum R. P. D. Rudeſindum Marcucci S. T. M. Ordinis Valliſumbroſæ, ut videat, & referat. Forolivii die 7. Decembris 1772.

F. Bernardini Vic. Generalis.

De Mandato Illuſtriſſimi D. D. Vicarj Generalis Franciſci Bernardini vidit D. Rudeſindus Marcucci S. T. M. atque imprimi poſſe judicavit.

Viſa ſupradicta relatione. IMPRIMATUR. Datum Forolivii, ex Epiſcopali Palatio hac die 7. Decembris 1772.

F. Bernardini Vic. Generalis.

Cum adm. Rev. P. Franciſci Thomæ Fabri emeriti S. T. Magiſtri, & S. Off. Forol. Vicarii juſſibus obſequens, librum, cui titulus *Alexandriades*, attente perlegerim, ut plura in eo reperi, quæ Epicæ poeſeos, ac Virgiliani præſertim ſtyli cultores delectare poſſunt, ita nihil deprehendi, quod pias Orthodoxorum aures queat offendere, atque publica idcirco luce dignum cenſeo. Forolivii in Conv. S. Thereſiæ 10 Decembris 1772.

F. Petrus a S. Johanne Baptiſta C. D. S. T. P.

Die 10. Decembris 1772.

Attenta ſupraſcripta relatione. IMPRIMATUR.

F. Franciſcus Thomas Fabri S. Th. Magiſter, & Vic. S. Off. Forol.

ERRATA CORRIGE.

Pag. 5. lin. 6. detitionem	lege deditionem.
6. l. 3. vocant.	l. vocat.
10. l. 2. ſtruere.	l. ſtruxere.
13 lin. 16. Phylippi.	l. Philippi.
ibid. lin. 25. infriget.	l. infringet.
15. lin. 18. inter.	l. iter.
17. lin. 12. viti,	l. viri.
22. lin. 4. Cariſtos,	l. Caryſtos.
27. lin. 2. Phyliſtinorum.	l. Philiſtinorum.
31. lin. 13. Prophanus.	l. profanus.
30. lin. 16. rauciſſona.	l. raucifona.
41 lin. 3. cœſſa,	l. cœſa.
53. lin. 13. Ad.	l. At.
58. lin. 7. Aabilonicas.	l. Babylonicas.
98. lin. 8. Rhenita.	l. Rheni.
99. lin. 3. Poetam.	l. Poeta.
77. lin. 11. exemplaris.	l. exemplaribus.
79. lin. 35. vide Pœma.	l. Vide poema.

VA1
1553141